MARS GOTHICUS,

Id est

TRACTATUS HISTORICUS:

Exhibens

VETERUM GOTHORUM

Militiam, Potentiam, Arma, Machinas, Exercitationes Bellicas, Acies, Castrametationes, Leges, Stipendia, Pœnasque Militares &c. &c.

Ex variis Classicisque plerumque *Auctoribus* deductus.

Operâ & Studiô

MATTHÆI PRÆTORII,
Præpositi & Parochi Starogardiensis, Weieropoliensis, Gorensis &c.
Sac. Reg. Maj. Pol. Historici & Secretarii.

TYPIS Monasterii Olivensis, S. O. C.
Imprimebat
JOHANNES JACOBUS TEXTOR, Factor 1691.

SERENISSIMO
AC
POTENTISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO,
DOMINO
JOANNI III,
Monarchæ Poloniarum Auguſtiſſimo, Magno Duci Liethvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Volhyniæ, Kyoviæ, Podoliæ, Podlachiæ, Smolenſciæ, Severiæ, Czerniechoviæque:

Potentiſſimo Exercituum Chriſtianorum Imperatori,

Patri Patriæ Clementiſſimo,

Domino Domino ſuo Beneficentisſimo

Martem hunc Gothicum

Sacrum eſſe vult

Matthæus Prætorius,
S. R. M. Hiſtoricus.

AUGUSTISSIME AC INVICTISSIME REGVM,

DOMINE DOMINE CLEMENTISSIME.

MArtem Gothicum, Coronato Poloniæ Marti. Corrigo dictum: Laureato Orbis Christiani Marti, qui nisi invenisset Martem, fecisset. Quanquam non tam Martem invenit, quàm fabulas, ex quibus Historiam fecit. Minùs imò finxerunt fabulæ, quàm Mars fecit Iste. Potuit quis pudefecisse auroram, suo vel Sanguine, vel rubore? pudefecit. Potuit quis extinxisse Lunam? extinxit. Potuit quis æternam cœlo induxisse noctem? induxit. Potuit quis ex Oriente fecisse Occidentem? fecit. Potuit quis Serenissimos Venetiarum Leones, Augustissimas Imperii, animare, armare Aquilas? animavit, armavit. Potuit tandem quis Orbem servare cadentem? servavit. Laborabit Posterorum Fides, Martem fecisse nostrum, quod pro Numine cultus ne fingi quidem de se, tota fingendi præsumpsit audacia. Sed qui gravissimum vicit Orbis hostem, levissimas

ſuperavit facilè fabulas, tanta fortiter geſtorum Veritate, quæ Pöëſim faciat Hiſtoriam, Pöëtas Hiſtoricos, ſublata omni omninò fingendi libidine, cùm veriſſima ſpectandi, tanta incumbat neceſsitas. Orbis ſpectavit, vixque ſpectanti credidit ſibi, quæ Mars fecit noſter. Ergò Martem *accipe Gothicum, qui Poloniæ, Auſtriæ, Hungariæ, Pannoniæ, Orbis imò totius,* Mars *audis* Laureatus; *Fronte illâ, quâ cuncta ſerenas:* Manibus *illis, quibus mundum tenes.*

Sacræ ac Auguſtiſſimæ
Majeſtatis Tuæ

Servorum Devotiſſimus

Matthæus Prætorius.

Syllabus Contentorum

In Tractatu Historico

MARTIS GOTHICI

nuncupato.

CAPUT III.

De Machinis Gothorum bellicis. p. 22

CAPUT IV.

De Milite Gothico. p. 49

CAPUT V.

CAPUT VI.

Ad finem annexæ Literæ Recredentiales Augustissimi Imperatoris Leopoldi I. in P. ac R. D. Michäëlem Antonium Hacki Abbatem Olivensem S. O. C. & bina ejusdem Pöëmata in Laudem Heroicarum Virtutum Serenissimi ac Invictissimi Poloniarum Regis JOANNIS III. *Victorum omnium Victoris.*

ACROSTICHIS I.

Ad Eruditissimum Authorem

MARTIS GOTHICI

Invictissimo Poloniarum Principi

JOANNI III.

Dedicati.

Olaus, Agathias, *quidquid de* Marte Gothorum
Sexcentos inter Procopiusquè *refert*:
Cogit in Historiam totum Prætorius *unam*,
Gothia *cui docti palma laboris erit.*
Hìc acies, hìc castra, minas, hìc militis arma,
Romphæas, galeas, bellica scuta leges:
Heroum Portenta Sago, *velut æmula Trojæ*
Pectora, pro patriis Scipiadasquè *focis.*
Omnibus his mundi Terror *supereminet* Unus
JOANNES Lechici TERTIUS Orbis Apex.
Barbaricas frangit Vincentûm Maximus *hydras*,
Quas in Christiadum funera, *Erynnis agit.*
Nemo trophæa satìs, nemo memoretquè triumphos,
Plus ultra *Mundi limina, Fama volat.*
Amplior hinc Gothico *grandescet Gloria* Marti,
Cujus JOANNES REX *Diadema nitet.*

M. A. H. A. O. S. O. C. &c.

II.

Post Orbem Gothicum *docto* Prætorius *Orbi*
Arma virumquè canit, quæ coluêre Gothi.
Curtius *Huîc impar, qui magni bella Gradivi*
Scripsit Alexandri; Lipsius *umbra manet.*
Justinus, Tacitus *cedunt*, Florusquè *dat herbam*,
Citrà livorem fit minor & Livius.
Heroum Gothi *vicerunt* Marte *triumphos*,
Author Scriptorum *vincit in* Arte *decus.*

Typographia Olivensis.

Mars

MARS GOTHICUS

SEU

DE MILITIA GOTHORUM.

Gothorum gloria prima Belli fuit.

PRima Gothorum Gloria, *Belli* fuit; de cujus populi *Militia*, deque rebus bellicis, libellum hunc, quem, MARTEM GOTHICUM indigitamus, *Jussu Supremi in Sarmatia nostra Monarchæ*, bono omine; quia in DEI *Exercituum* Nomine, incipimus. Palmarium certè hoc Gothorum fuit studium; cæteros in virtute bellica anteire populos. Varii licèt Gothorum fuerint populi, institutaque bellica variârint; de illis tamen asserere possumus, quod Lucanus[a] habet:

Septemtrionales populi bellicosi.

Omnis in Arctois populus quicunque pruinis
Nascitur, indomitus belli est & Martis amator.

Causam, quare hi militiæ populi tantùm tribuerint, dat Vegetius[b] hanc: *Septemtrionales*, ait, *populi, largo sangvine redundantes, sunt ad bella promptissimi. Ebulliens sangvis largus, iram; hæc audaciam fortitudinemque sæpè gignit, quæ facit viros vocare hostes & vulnera mereri.* Adeò Generoso Gothorum populo ingenitus præ cæteris erat populis, Martius animus, ut inter *matrimonialia munera*, etiam *arma* ponerent, utriusque, viri & fœminæ sacratiora vincula. De quo Tacitus [c] de matrimoniis hujus gentis disserens; *Boves*, ait, *& frenatum equum, & scutum, cum framea gladioque. In hæc munera mulier accipitur: atque invicem ipsa, armorum aliquid viro affert. Hoc maximum vinculum, hæc arcana sacra, hos conjugales Deos arbitrantur, ne se mulier extra virtutum cogitationes, extraque bellorum casus putet; ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonetur, venire se, laborum periculorumque sociam, idem in pace, idem in prælio passuram ausuramque. Hoc juncti boves, hoc paratus equus, hoc data arma denunciant.* Quare tantum in hoc non miremur populo studium armorum amoremque belli; cùm verum de eo sit illud ejusdem Taciti. c l. *Si civitas, in qua orti sunt, longa pace & otio torpeat, plerique nobilium adolescentium petunt ultrò eas nationes, quæ tum bellum aliquod gerunt: quia & ingrata genti quies, & facilius inter ancipitia clarescunt; magnumque comitatum nonnisi vi belloque tueantur. Exigunt enim Principis sui liberalitate, illum bellatorem equum, illam cruentam victricemque frameam. Nam epulæ, & quanquam incompti, largi tamen apparatus, pro stipendio cedunt. Materia munificentiæ per bella & raptus. Nec arare terram, aut expectare annum,*

Gothi inter matrimonialia munera arma habuerunt.

Veterũ Gotho-Germanorum ardor belli.

a l. 7. b l. 1. c. 2. c lib. de Mor. Germ.

num, tam facilè persuaseris, quàm vocare hostes & vulnera mereri. Pigrum quinimò & iners videtur sudore acquirere, quod possis sangvine parare. Proprium hoc antiquis Gothis fuit & adhuc est in Oris Sarmaticis.

Belli-Ludia apud Prussos, Zamogethas, Lietvanos in nuptiis.

Idem Prussorum Chronica, ex quibus fusiùs Deliciæ meæ testantur scil. non facilè Prussos Gothos antiquitùs contraxisse, consummâsse matrimonia, nisi præludium quoddam bellicum præmisissent; adeò ut ad connubia ire, ferè fuerit ad prædam commeare, & non tam duxerint quàm rapuerint prædatiq; sint conjugem. Hujus consuetudinis quædam reliquiæ adhuc in Nadravia Prussorum, Zamogethia, Lietvania &c. videntur; ubi non modò ante hymenæum concubitum, duo electi ad id juvenes jugum boum neosponsis præferunt, sed & armati gladii-hastive-ludia habent, quorum lucrum merus est gloriolæ fumus. Scil. quòd victoriosi sponsam fortiter pugnando obtinuerint sponsi apparitores honorarii. Haud ignavè nimirum, quod non nullibi in Zamogethia ipsimet vidimus, sæpissimè lusum, vel potiùs congressum est, à sponso ejusque Satellitibus, contra partem sponsæ alteram. Siquidem non integrum sponso fuit, approximare sponsæ, nisi victoriâ de ea obtentâ. Exinde satis patet, quantum belli studium & quàm martius *Gothis* animus inerat. Quorum prima tamen sedes fuit in Prussica Sarmatia.

CAPUT I.

De Armis Gothorum, potissimùm defensivis.

Studium rei militaris apud Gothos.

CUM *omnis* Gothorum nostrorum *vita*, teste Cæsare,[a] *in studiis constiterit rei militaris*, in qua *ad mortem usque obstinati fuerunt*,[b] utique *non intra urbes, (ubi sordidæ quæstuariæque artes animos reddunt molles) sed magis in campis, ad bella paratos vivere, solitudinesque vastatis finibus circa se habere ipsis volupe erat. Hinc semper arma gestare*: nihil nisi *armatos agere*, æque illis ac nostris hodie Sarmatis proprium erat. Inde, si cùm exteris Pax fuit, in feras bella moverunt; venationibus, quæ speciem belli præseferunt, semper dediti.

Eorum venatio.

§. I.

De Armis Gothorum in genere, illorumq; inventoribus.

Ægyptii an primi armorum Inventores?

GOthorum bellandi modum descripturi, *Arma* prius illorum considerabimus. *Ægyptii* olim, se primos *armorum inventores* prædicabant, eaque in Græciam detulisse gloriati sunt, teste Herodoto.[c] quibus Græci contradicentes, suis armorum inventionem tribuere populis conati sunt. *Caribus* id attribuit Herodotus,[d] cui Plinius[e] & Strabo[f] assentire videntur. Neutris tamen primæ inventionis gloriam deberi Pagina sacra declarat, quæ Deum Zebaoth agnoscit bellatorem primum, docentem Populum suum arma sumere, bellaque pro

An Cares Græci?

Aris

a Comment VI. b Ammian. Marcell. l. 17. c l. 4. d l. 1. e l. 7. c. 56. f l. 14.

Aris & foris contra hostes gerere. Ad Cares tamen revertamur, quibus Herodotus tria adscribit singularia, & quasi propria. Nimirum quòd, (1) illi *Galeis primi Cristas* imposuerint, (2) *signa Clypeis* adjunxerint, (3) *Lora* scutorum excogitaverint. Equidem puto post DEum Scythis (quo nomine & Gothi nostri antiquitùs venêre,) cùm antiquissima omnium gens sit, & bellicosissima habita, usum & varietatem armorum inventionemq; bellatoriæ arma tractandi artis adscribendam esse. Etenim Gotho-Scytharum lingva vox *Caras*, vel, prout à Sarmatis nostris in Lietvania, Russia, Prussia, Zamogethia scribi modò solet per K, i. e. *Karas*, unde *Kareji*, i. e. *bellatores*, *bellum* denotat. Scythæ quippe antiquissimi omnium bellatorum, belli studium artesque, nonnisi per *Karas*, i. e. *bella*, armorum aliis usum tradiderunt, quod Græci, lingvæ ignari Scythicæ, pro genio ingenioque suo, ad vocabulum Scythicum *Karas* alludentes, ad populos Græciæ *Cares* traxerunt. Confirmatur hoc quoque ex eo, quòd ab his Gothicis populis, *Populus Romanus* multa è disciplina militari Gothorum didicerit ac assumpserit. Frontin. l. 4. c. 1. Conferatur Cluver. in Antiq. German. lib. 1. cap. 44.

An Scythæ seu Gothi?

Unde Caribus adscripta armorũ inventio?

§. II.

De Nuditate Gothorum in acie bellantium.

IN bellum ituri Gothi non tam pro proprio solliciti fuerunt corpore, quàm ut hostium corpora acriter ferirent, armis solis suum defendentes, corpus hostium simul percutientes. Inde de *Ariovisto*, Svevo-Gothorum Rege, quem cum J. Cæsare bellum gessisse legimus, notum est, quòd in illius exercitu milites ferè nudi decertârint: Ita enim alloquitur J. *Cæsar* suos contra Ariovistum in acie stantes milites: *Quis nescit, nos totum corpus armatos esse, illos verò plerumque nudos*, Dio.[a] Et Tacitus cl. habet: *Nudi aut sagulo leves pugnant. Paucis Loricæ, vix uni alterivè cassis aut galea.* Similiter Diodorus[b] de Germanis dicit, *Loricas* quidem *quosdam habere ferreas atque hamatas; alios vero à natura tributis contentos nudos pugnare.* Sic non modò *Pedites*, sed & *Equites* nudi pugnabant. Scilicet hac ratione, attestante Polybio, lib. 2. adv. Roman. *quàm expeditissimos fore sese rati; cùm senticeta essent alicubi, quæ dependentibus laciniis ac vinculis adhærentia armorum usum impedirent.* Puto tamen non totum corpus fuisse nudos, sed tantùm super umbilicum. Ita & *Galli* teste Livio lib. 22. *circa umbilicum erant nudi*: de quibus tamen Plutharcus *in Crasso*, & Appianus *in Syriacis* eos *braccatos* dicant, i. e. tectos circa corpus inferius.

Corpora Svevo-Gothorũ nuda.

§. III.

De Gothorum Galeis, earumque Ornamentis.

NOn tamen omnes omninò nudi fuerunt Gothi. Fuerunt, qui *veste distingvebantur stricta, singulos artus exprimente*, teste Tacito,

Galeas & Cassides habuerunt Gothi.

a l. 38. b l. 5.

cito. *l. 2. annal.* Atque ut à Capite incipiamus, certum quidem est, *nuda* plures habuisse *capita*. Dio. *lib. 38.* vel ut Agathias. *lib. 2. hist. Goth. detecta capita.* Communi id populorum variorum more, scil. *Gallorum.* Herodian. lib. 6. & *aliorum.* Attamen plurimos quoque *cassides* & *galeas* habuisse, præcipuè Principes viros, omninò probabile est. Cum Isidoro lib. 18. c. 14. distingvimus *cassidem* à *galea*, *Galea* de corio est, *Cassis* de lamina. quæ vocabula tamen sæpiùs apud Auctores confunduntur. Galeis communiter usos fuisse Gothos, conjicitur exinde, quia Plutarchus de *Cimbris*, Gothorum vicinis refert, quod *Galeas quæsierint, quæ repræsentârunt sævarum rictus belluarum, & inusitatas figuras, alatis fastigiantes cristis apparentes eminentiores.*

Distingvitur galea à Casside.

Ejusmodi galeas ex corio & pelle ferarum usos fuisse *Roxolanos*, (Russos nostros) *Albanos* & *Iberos* intra Pontum Euxinum Caspiumq; mare, refert Strabo. *lib. 6. & 10.* Confirmatur hoc ex Procopio. *lib. 3. Goth. Histor.* qui inter alia refert, de quodam Gotho. *Ularis* nomine, *viro nobili, corporis magnitudine præstanti, visu terribili admodùm, & factis acri, belloque bono*, quòd ex castris suis, copiis Romanorum & Gothorum utrinque instructis *prodierit equo in medium campum immisso, armatus, galeatus, provocans quendam ex Romanis cum quo decertet.* Commune id capitis tegmen variis fuisse populis à Scythis traditum crediderim. Etenim de Scytharum satore *Hercule* refertur, quòd nullum aliud tegumentum bellicum habuerit, quàm exuvias Leonis. Silius Italicus *lib. 2.* Statius *in Thebaid. l. 4.* Eadem refert de *Afris* Claudian *l. 1. de Laude Stiliconis.* de *Mezentio* Etruscorum Heroe Virgilius. *lib. 7. Æn.* Nimirum totus rictus Leonis vel ursæ, aut similis feræ, seu potiùs pellis, quâ caput feræ involutū fuit, capiti hominis imponebatur, unà cum dentibus, ita ut superior rictûs pars, partem frontis, inferior maxillas contegeret. *Thraces*, qui ut plurimum cum Gothis nostris apud Auctores non paucos confunduntur, itidem habuerunt in galeis *aures* & *cornua bovis cornipetæ.* Herodot. *lib. 7.* Barbariem de cætero sapit sat magnam, quod Gunterinus Ligurinus *lib. 10. v. 415.* refert de quodam, *qui caput hosti dissectum*, galeæ imposuit suæ, de quo canit:

Ularis.

Galea Gothor. ex corio & pelle ferarum.

Totaqué detracta est capitis membrana resecti
Atque peremptoris nitido superaddita cono,
Hostilemqué comis galeam pendentibus umbras
Præbuit infandi signum crudele triumphi.

Cæterum, *cornibus* se coronare fuit frequens veteribus. Sæpè *Alexandrum* M. coronâ bicorni se hominum conspectui dedisse testatur Baidavus Alcorani interpres. Et Ephippus Olynthius de hoc Monarcha refert, quòd sæpiùs Purpuram Hammonis & cornua induerit. Et *Jupiter Hammonius* corniger fingi à statuariis voluit, referente Clemente Alexandr. *in proprept.* & quidem *cornibus arietinis* fictus est, teste Arnobio *lib. 5.* Plutarchus refert de *Pyrrho* Epirotarum Rege, armis & manu repræsentâsse Alexandum M. cristasque insignes, & *cornua Hircina* gestâsse. Unde aliqui volunt, allusisse Danielem c.

Cornibus se coronare, antiquis solenne.

8. &

8. & 5. hirco caprarum ad Alexandrum M. Ammianus Marcellinus *lib.* 19. de *Regibus Persarum*, quod *aureum capitis arietini figmentum* interstinctum lapillis, pro diademate gestare solitus fuerit. *Castores*, (populus erat,) contegebant Cassides, *æratas stellarum apicibus* insignes. Apulejus. 10. *Metam.* *Thraces* in galeis habebant æratis *aures & cornua bovis.* Herodot. *l.* 7. Similiter *Ægyptij* in capite, teste Diodoro Siculo. *lib.* 2. *c.* 2. *Leonis Taurivè* aut *Draconis* imaginem in capite ferebant.

Similes his, nostri in Prussia Gothi veteres in acie processerunt; testantibus id Simone Grunaw, Bretkio, & Henneberg. in Vet. Pruss. qui inter signa bellica, hominis habuerunt iconem cum capite Ursi. Rosenzweig in Rapsodiis Prutenicis refert de quodam *Sudowita* Prusso, in acie contra Ordinis Teutonic. milites in confiniis Masoviæ militante, quòd pellem Ursini capitis, ita aptaverit suo capiti, ut oculi, locis in pelli, ubi oculi Ursi fuerunt, os ori, naribus nares, rictus rictui ursi corresponderint. Adhuc in Nadravia communis juvenum rusticorum est lusus, quem *Ursi* vocant, quo quis induit formam ursi, incedit ut ursus, & omnia tam apposite efficit, pellemque ita affabre adaptat sibi, ut vix discerni possit hic homo Ursiformis à vero urso. Inducor ego, hoc fecisse Gothos, ut terrorem & horrorem, ex aspectu tali incuterent hostibus. Tale quid intentavit Nobilis ille ex veterum Prussorum familiis, in celeberrima illa Prussorum Tannebergensi pugna, qui ad caput suum *pellem ex uro cum auribus & cornubus*, inter quæ *seta equarum* posuit, mirè adaptavit. Videatur Okolski. Herburtus & alii.

Galea cujusdam Sudovitæ insolens.

Lusus Ursi.

§. IV.

De Cassibus Veterum Gothorum.

HÆ fuerunt Galeæ Gothorum. *Cassides* quoque habuerunt, potissimùm tamen Principes & nobiles, quod Tacitus innuit dicens: *Aurum & argentum Deos iis negâsse, nec ferrum, adeoque vix uni alterivè cassidem superesse.* Cassides verò ut & Galeas, *variis cristis* instruxerunt, & quidem cristas non in postica cassidis parte, sed in *vertice* ipso, more vetustissimorum bellatorum collocantes. Ita Virgilius l. 7. Æneid. de *Turni* galea. Inde Poëtis: *Comans galea, cristæ comantes*, &c. Virgil. l. 2. 3. & 9. Æneidos. *Origo* harum Cristarum adscribi à nonnullis solet *Æthiopibus*, de quibus Herodotus *l.* 2. habet, quod pelles frontium equorum, cum auribus & jubis in capitibus habuerint, ut ipsæ jubæ pro cristis essent, & hirtæ aures equinæ rigerent. Sed tamen Gothos etiam Cristas ex pennis super cassides habuisse probabile est; quia & Thraces, cum quibus Getæ seu Gothi olim confinia habuerunt, jam tempore Herodoti *pennatas* habuerunt *cristas.* Has *celso minitantes vertice cristas.*

Casses cum Cristis.

Origo Cristarum.

Gestare soliti sunt populi varias ob causas. Factum credimus 1. *ex fastu.* Unde proverbium: *Cristas erigere, cornua tollere.* Huc pertinet quæ habet Ammian. Marcell. *lib.* 25. de militibus sui ævi, quòd crista-

cristatis corusci galeis fuerint, vibrantes clypeos, velut pedis anapesti præcinentibus modulis leniùs præcesserint. Profectò talis ad numeros compositus ingressus pompaticus, indicium dat plerumq; fastuosi spiritûs. Factum quoq; putamus 2dò ad *distinctionem militum vulgarium à Ducibus.* Hi *pavoninas* nonnunquam habuerunt cristas, nonnunquam *auro gemmisque* interstinctas. quò alludit Sidonius in Panegyri Aviti:

Includit suras ocreis, capitiqué micantem
Imponit galeam, fulvus cui crescit in altum.
Conus; & iratam jaculatur vertice lucem.

Cassis Achillis.

Memorabilis galea, seu potiùs Cassis, *Achillis* fuit, quæ stellarum instar *fulgebat, equinâ,*

Terrificante jubâ distinctâ crinibus aurêis
Mulciber hos passim interspersérat arte frequentes.

3tiò Sæpiùs ad *Terrorem* hostibus incutiendum cristis sunt usi talibus, inde Poetis solemne:

Terrificas capitum cristas; &c.
Terribilem cristis galeam flammasqué vomentem,

canere.

Superstitio cristarum.

Deniq; 4tò locus dandus erit hîc *superstitioni. Ægyptii Ibidis* pennas sacras habuerunt, quas contra crocodilos olim gestantes, credebant iis tactos crocodilos obrigescere. In Sarmatia nostra apud Gothos olim talem in usu cristarum superstitionem fuisse nullatenus negandũ est. Hoc exinde palàm est, quia adhuc Prussi Nadravi, Zalavoni, Zamogithæ, Bubonis, Avis, quæ modò quoque *Ibbis* seu pro hodierna Nadravorum Dialecto *Ibbas* vel *Ivas* vocatur, sacras habent, multùmq; contra læsionem & vulnera conducibiles. Iidem quoq; Iconem hominis cum *capite Ursi* usurparũt ex superstitione contra primos Insultus Teutonicorum. Bretkius in MSS. Inde venisse morem, quo bestiarum figuris insignia nobilium distinguuntur, probabile omninò multi putant.

Unde bestiarum figura in Insignibus nobilium?

Adscribit quidem Diodorus Siculus, lib. 5. inventionem hujus rei Ægyptiis, quorum Regis caput Leonis, Tauri, & Draconis in capite gestârunt. Inde Græci & posteà Romani creduntur accepisse hunc morem. Stevechius ad Vegeti, l. 1. c. 20. Puto tamen id Scythis Gothisque nostris posse firmiori adscribi argumento, cum longè Ægyptiis Antiquiores bellicosioresq; sint habiti, de quo lib. 1. c. 1. Orbis Gothici.

§. V.

De Tegumentis bellicis Gothorum, & quidem de Lorica.

Lorica Gallorum.

JAm de Tegumentis corporum bellicis, quæ inter primum sibi vendicat locum *Lorica.* Varroni *lib. 4. de LL.* dicitur de *Coro,* quòd de corio crudo pectoralia faciebant. Idem dicit, quòd *Galli,* (qui cum Gallindis Gothis nonnunquam confunduntur) posteà loricas succude-

cuderint ex *ferro*, scil. ex *annulis tunicam* ferream. De Gothis habet Diodorus *lib. 5.* (Huic Gothi nomine Germanorum veniunt more veterum) quòd loricas habuerint *ferreas & hamatas.* Istæ loricæ, præsertim Principum, erant *auro* contextæ, de quo Silius Italicus: lib. V.

Gothorum.

Loricam induitur tortos huic nexilis hamos,
Ferrum squamma rudi, permixtoque asperat auro.

Sarmatæ nostri iisdem adhuc utuntur, vocantque *Panceri*, Teutones: Pantzer/ Pantzer-Hembde. Hæ Loricæ ut plurimum contegebantur ferinis pellibus more plurimorum populorum. Præprimis *Bebryonum*, Statius, lib. 4. Thebaid. *Tyrinthiorum* & *Arcadum*. Claudian. l. 1. de Laud. Stilicon. *Affrorum*. Loricæ sic Ferinis munitæ pellibus videntur esse *Thoraces Roxolanorum*, i. e. Russorum & Ukrainensium, quorum meminit Strabo, lib. 8. Talibus usi sunt *Amazones* Sarmatæ quos *Chardin* in *Itinerario suo Persico Indico*, ponit in Sarmatia nostra non procul à Tanai fluvio. Item *Albani* & *Iberi* inter Ponticum Caspiumque maria degentes, Gothis nostris vicini. Procopio videtur quoque Lorica, quæ Thorax aliis. Hic memorabile quid de Gotho quodam refert, sic induto. Nimirum: *apud Salariam portam Romæ à Gothis obsessæ vir quidam ac proceræ staturæ, Gothus, belloque strenuus, thoracem indutus, & capite cassidem gestans, nec inter cæteros Gothos obscurus, non aliorum in ordine manens, sed arbori propinquæ insidens, crebriùs sagittando, propugnacula infestabat. Hic vir tormento ad turris lævam locato, sed improvisò per loricam trajectus, arbori veruto affigitur, in stipitem altius descendente, hominemque ibidem impactum in sublime suspendit.* Scilicet per Loricam, quam prius thoracem vocavit, Gothus ille transfixus est.

Loricæ pellibus ferinis munitæ.

Lorica Veteribus est, quod Thorax.

§. VI.

De Sagis, Tegumentis Gothorum bellicis, eorumque materia.

AD Tegumenta bellica referri possunt *Saga*, quæ humeros tantùm & terga, ad nates usque contegebant. Horum autem alia fuerunt *ingenuorum*, alia *nobilium* & *Principum*. Alia tempore *belli*, alia tempore *pacis*. Quibus in pace usi sunt Gothi, dubio procul fuerunt *tenuia*, *levia*, præsertim in æstate quæ gestabant, laterculis pro æstu interdistincta. *Densiora* verò, quæ per *hyemem*, inque *bello* habebant. Versicolores virgæ & Zonæ distinguebant saga ingenuorum à nobilium. In horum haud dubiè aurum, insigniaque intexta fuerunt, prout in scuto, Sidonius lib. 4. Epist. 20. In bello gestârunt aspera, villosa, densèque satis contexta. Hæc audiunt Straboni cl. & Juvenali satyr. 9. *Lanæ*, Ejusmodi reperiuntur saga adhuc apud nostros Sarmatas in Polonia, Ukraina, Russia, Samogetia &c. quæ *Koce* & *Burki* appellantur, h. e. *amiculum*, vestes & homines contra imbres & nives, etiam contra minora tela muniens; nonnunquam effigiem Leonis, pardi, tauri referens. Talia adscribit Celtiberis Diodorus Siculus lib. 5.

Saga Gothorum, eorumque distinctio.

Sarmatarum Koce & Burki.

Fue-

Saga ex corticibus arborum.

Fuerunt quoque Saga *ex corticibus arborum*, procul dubio belli tempore adhibita. Horum meminit Plinius lib. 12. & ante eum Herodotus lib. 7. Mela lib. 3. c. 3. Solinus c. 55. tam in pace, quàm in bello adhibitorum. Illa quorum usus fuit in pace ex *libris*, i. e. tunica arboris interiori, præsertim *tiliæ*, quæ multiplici gaudet membranâ maximè plicabili, atque ad texturam aptissima, ex quibus *funes* varii

Ex viminibus.

generis in Polonia, Russia, Lietvania, Prussia, ut & *storeæ mattæque* conficiuntur. *Hæc* fuerunt non ex corticibus arborum, sed ex viminibus avellanæ, alteriusque arboris, quæ plicari se sinit. Horum apud veteres Prusso-Gothos fuisse usum Bretkius c. l. dicit, qui & simul refert, quòd illa habuerint dense-villosis pannis subducta contra ictus virum quadantenus muniens, de quo in Deliciis.

§. VII.
De Forma Sagorum.

Sagorum forma quadra.

Forma Sagorum non fuit unius generis. Fuerat alia figura *quadra*, prout ea ferè solent esse in Polonia, Russia, Hungaria. Ejus figuræ amicula multis olim populis communia fuerunt, & quidem *Persis* & *Lydis*, attestante Dionysi. Halicarn. lib. 3. *Gallis*, *Belgisque*,

Circularis.

Strabo. l. 4. Fuerunt & figuræ *circularis*; præsertim apud *Græcos*, unde iis audiunt κύκλαδα. Fuerunt & adhuc apud nostros Sarmatas sunt, *quæ animalium figuras præseferebant*, ad quadram figuram quodammodò vergentes, de quibus supra. Fuerunt aliis *majora*,

Saga majora, minora.

aliis *minora*. Inprimis *Hiberniæ* populis magna fuerunt ut & Normannis in Gallia, de quibus Seneca l. 1. de Ira cap. 11. Cæteris populis non tam fuerunt magna, adeò ut viri ferè nudi apparuerint.

§. VIII.
De Nomine Sagi, unde veniat?

Sagum vocabulũ num Gallicum?

Libet hic quærere, quale & unde sit vocabulum hoc Sagum? *Gallicum* quidam volunt esse. Ita Isidorus lib. 9. c. 24. & Varro, lib. 4. de LL. Et sanè fatendum est, reperiri in lingva Gallica, vox *Saye*, *on Sayon*, quod amiculum denotat militare. Sed quod nomen hoc Gallis istis fuerit nativum antiquitùs, vix mihi persuadeo, cùm istud nec in antiqua Gallica lingva, quæ Teutonica habetur, nec in Latina, quæ tamen matrix est modernæ Gallicæ ullam habeat radicem. Alii

Num Græcum?

Græcum dicunt, nam Græci retinuerunt hoc vocabulum, dicuntque σάγον, pro quo tamen habent nonnunquam χλαῖνα ex quo Latini Lana & Læna. A Scythis Gothicisque Sarmatiæ populis Gallos & Græcos hoc nomen accepisse, ex eo mihi videtur probabile, quod Gallorum (qui cum Germanis, & hi cum Gothis apud AA. sæpiùs confunduntur,) ut & Græcorum terras Gothi inundârunt, & per multa secula tenuerunt, quo tempore plurima certè Gothica vocabula Gallicæ & Græcæ lingvis

Est Sarmaticũ, à Sajæ Polonorum.

inserta sunt. Salvo meliora monentium sensu, puto vocabulum hoc opimè derivari posse à Polonico *Sajæ*, quod quasi *sagon* effertur,

& denotat tale militare amiculum, pro quo mutata *a* in *u*, Zamogethæ & Pruſſi *Sagkia* dicunt, quod amiculum denotat, & quidem tale, quod confibulari ſolet. Unde *Sagtis* & *Suktis* fibula. Fibulis enim conſtringebantur ſaga veterum, in ſuperiori parte, id quod hodiedum faciunt noſtri Sarmatæ.

§. IX.

De Scutis Gothorum.

Scutorū materia varia.

AD Tegumenta refero Scuta, quæ ex *varia* fuerunt *materia*. Aliis *nervo* quodam & *ferro* fuerunt firmata; aliis *viminibus* texta; aliis *tenues* & *fucatæ colore tabulæ*. Teſte Tacito l. 2. Annal. Hæc *levia* fuerunt. Diod. Sicul. l. 5. Aliis denique ex *mera arboris cortice*. De quo Valerius Flaccus lib. 6. Argonaut. de Baſtarnis Gothis loquens:

Quos Duce Teutogono crudi mora corticis armat.

Talia ipſis à natura ſuppeditata tegumenta, certè antiquiſſima fuiſſe crediderim. De his acutè Statius in Fun. l. 8.

Arborei dant Scuta ſinus.

Forma varia. Romanorū. Germanorum. Gallorum.

Forma horum Scutorum non eadem fuit. Romanis fuerunt Scuta *concava*: Germanis, ſeu potiùs Teutonibus *plana*, qualia & *Gallis* fuerunt, Livius lib. 48. Polyb. l. 2. ſimulque *non ſatis lata*, *nec ſatis longa*. Aliis verò *nimis longa*. Verba Polybii adduco: *Quia enim ſcutum Gallicum protegere virum non poteſt, quò majora erant horum corpora, & quidem nuda; eò minus jacula cadebant irrita.* Livii c. l. verba ſunt: *Scuta longa cæterum ad amplitudinem corporum parùm lata, & eo ipſa plana malè tegebant Gallos.* De his Virgilius *l. 8. Æneid.*

Scutis protecti corpora longis.

Brittanorū.

Alia fuerunt Brittanis. Herodian. lib. 3. quibus ſe potiſſimùm in acie muniebant. *Illis enim*, verba ſunt Agathiæ lib. 2. *forma aciei inſtar cunei, Δ literæ figuram præſeferens, anteriore ſui parte in acutum deſinens. Preſſa enim erat & denſa, ſcutis undequaque inter ſe conſertis munita. Averſa enim inter ſtabant uti hoſtibus averſi eſſent, & ex tuto confligerent, ſcutis protecti.* Gothi noſtri ſub Arioviſto Marcomannorum Rege, ſimiliter ſcutis utebantur. Hi J. Cæſari, *Germani* audiunt, de quibus ille ita ait: *Germani celeriter ex conſuetudine ſua, phalange facta impetu gladiorum exceperunt. Reperti ſunt noſtri milites, qui in phalangas inſilirent, & ſcuta manibus revellerent, & deſuper vulnerarent. Oroſ. lib. 6. c. 7.* Adſcribuntur tamen noſtris Gothis, præſertim in interiori Sarmatia *Scuta quadantenus rotunda*, & quidem *nivea* in *orbibus*, *fulva in umbonibus* teſte Sidonio Apoll. in Epiſt. ad Domitian. Talia *Rugiis* & *Lemoviis* appingit Tacitus, lib. de moribus Germanor. His nonnunquam *Animalia* appicta erant referente Quintiliano *lib. 6. c. 2.* qui quoque refert, quòd *imago Galli in ſcuto Mariano Cimbrico* picta fuerit. Tacitus de Scutis Gotho-Germanorum ſimiter dicit, quod illorum ſcuta *lectiſſimis coloribus diſtincta* fuerint.

Gothorum.

Rugiorum.

Scuta Equitum.

Scutis autem non tantùm *pedites*, sed & *equites* usi sunt, quod testatur Tacitus c. l. his verbis: *Eques quidem scuto frameaque contentus est; pedites missilia spargunt.* Hæc scuta, pugnantes in acie læva manu sustinuisse: extra pugnam, vel domi in pace sinistro suspendisse humero, docet Agathias *lib.* 2.

§. X.

De Honore atque Insignibus Scutorum.

Scutorũ magnus honos.

SCutorum magnus fuit honos. Militaris semper Viri proba fuit, ac decus militiæ. Quare *Lacæna* Matrona apud Plutarchum clypeum seu scutum filio appendens dicebat: *aut in hoc, aut super hoc.* Romanis etenim Græcis & aliis gentibus consuetudo fuit, ut qui in prælio fortiter dimicando cecidissent, eodem, quo præliati fuerant clypeo, ad sepulturam efferrentur, unde Poeta:

Impositum Scuto referunt Pallanta frequentes.

Claudio Imperatori Romano, ob res benè gestas, nomen Divi datum, & *scutum in Curia aureum cum imagine aurea*, ipsi appensum.

Et apud *Hebræos* olim honor Scutis datus sanè magnus. Regius Vates infelicem Israëlitarum militiam lugens, non deplorat diadema, non sceptrum, non purpuram, sed quod ibi abjectus sit *Clypeus fortium, Clypeus Saulis.* 2. Reg. i. c. 1. Antiquis dictum erat militibus illud:

Omnia si perdas Scutum servare memento.

Myrtillus ingentis animi miles Clypeo pugnare solitus, quo omnium hostium tela & enses excutiebat. Hic cum ad maritimam expeditionem navigâsset, submersa navi, suum summâ curâ tenuit Clypeum, quo innixus in tutum portum delatus est; unde Leonides Poëta,

Effugi geminum, Clypeo discrimen in uno,
Cùm premererque solo, cùm premererque salo.

Novitiorum nuda scuta.

Cæterùm *Novitiis* & militiæ tyronibus datum fuisse *nudum* & *album*, in quæ post patrata egregia facinora, signa heroicæ mentis, ex figuris animalium generosiorum ponerentur, putat Okolski in Orbe Polon. in Czerwnia. Ast mihi probabile videtur, nudum, non tamen album olim primis militiæ tyronibus esse datum. Insignis enim in Insignibus est *Color Albus*, index fidelitatis. Ita non modò Illustris in Polonia familia Czerwnia, sed & olim inter Svevo-Gothos, unde Illustrissima *Habsburgiorum*, ex qua Augustissima domus Austriæ suam propaginem deducit, olim albo colore Stemma suum proposuit, quòd ob fortunam adversam cum Helvetiis ad Sempacum mutâsse, rubentique sangvine illud divisisse, Cranzius [a] & Lipsius in Epistol. referunt. Certè colores picturæque in Scutis, insignia olim singularium virtutum fuerunt. Sic *purpureus color* Regii animi insigne fuit, ac index generosiorum in bello facinorum. *Scythæ*, quo nomine Gothi nostri apud antiquos venêre, *fulgura in Scutis Clypeisque* depicta habuerunt. Gothi alii

Scutum album quid indicet?

Scutum Purpureum?

Insignia veterũ in scutis.

a in Hist. Vand. l. 9. c. 39.

thi alii alia. Alii *Aprum*, alii *ursum*, alii *hominis effigiem cum capite ursi*, vel cum *capite vulturis*, *uri*, de quo Erasmus Francisci.[b] Fusiùs de his deliciæ nostræ. Communissimum id omnibus ferè gentibus, quæ pro suo genio & ingenio varias in scutis fingi pingique fecerunt figuras. Et nonnunquam cum inscriptione Lemmatum. Celeberrimum *Agamemnonis* Scutum continuit in se *Leonem flammas de ore spumantem* cum Epigraphe: *Virtus Fortunæ Agamemnonis*. *Ulysses*, *Delphini* in Scuto habuit effigiem. *Ajacis* cum Ulysse decertantis fuit:

Clypeus vasti cælatus imagine mundi.

Alcibiades Scutum ex *ebore & auro* confectum, & in eo *Cupidinem* pro Insigni gestavit. *Claudius* Imperat. Roman. in *Scuto aureo auream imaginem*. Aurel. Victor. in Claud. *Romani* in Clypeis suis signârant literas S. P. Q. R. *Lacædemonii* Λ: *Messenii M*. *Trojani minervam* pinxerunt in Scuto. *Alexander M. fulgur* in Scuto imposuit. *Darius* tres falcones. *Augustus* Imperator mox Sphingen, mox Imaginem Alexandri Magni. *Pompejus M*. leonem tenens gladium. *Domitianus* Medusam. *Thraces* Martem, *Cimbri* Urum, *Alani* Catum: *Persæ* Avem: *Athenienses* noctuam:

Memorabile tamen est, de nostris Gothis, quod nonnunquam eorum Reges arma seu insignia in Scutis & Clypeis *mutârint*, alia belli tempore, pacis alia habentes. Tempore belli, *textilis Angvis* habuerunt imaginem, ast in pace *agni figuram*. Hujus rei clarum testimonium est insigne monumentum, quod Gothæ, in Thuringorum provincia repertum in veteri quadam turri affixum, cum aliquot versibus Germanicis, de quo Heiderus in Orationibus suis, Hos Loccenius ita Latio donavit: *Gothi insignia mutârunt tempore belli & pacis.*

Quando vetusta urbis Turris destructa Gothanæ
Inventum est istic Insigne AGNI atque Draconis,
Agni insigne Gothi gestârunt tempore Pacis:
Tempore sed belli, contra hostem insigne Draconis.

Exinde insuper patet, fuisse Gothos, in bello contra hostes acres & strenuos; in pace mites & placatos suis subditis & amicis.

CAPUT II.
De Armis Gothorum Offensivis.

§. I.
De Arcubus Gothorum.

PRæter arma Defensiva, habuerunt Gothi etiam *Offensiva*: inter quæ primum ferè sibi locum vendicat *Arcus*, quibus maximè usi sunt Gothi. Vegetius *lib. 1. c. 20.* refert de Romanis, quòd *contra Gothos congressi, multitudine sagittariorum sæpè deleti sint*, & Tacitus c. l. de Fennis, populo ad Vistulam Gothico, quod *Sola ipsis in* *Arcus Gothorum.*

[b] Im Sitt und Tugendt-Spiegel. l. 2. c. 39.

Ejus Forma descripta à Marcellino.

in Sagittis spes fuerit. Marcellinus, *lib. 22*, qui Gothica bella nobis reliquit descripta, describit simul formam figuramque Arcuum. *Cùm*, inquit, *Arcus omnium gentium flexis curventur hastilibus, Scythici soli* (sive Gothici) *vel Parthici, circumductis introrsum pandis & patulis cornibus effigiem lunæ decrescentis ostendunt; medietatem recta & rotunda regula dividente.* Eisdem utuntur nostri Sarmatæ præcipuè in Ukraina Cosaci & Tatari. Germani vocant: **Einen Tartarischen Flitzschbogen.** Sagittas verò Gothi *ossibus* & *cornibus* aspe-

Modus intoxandi sagittas.

rabant: nonnunquam & ferro. Harum Sagittarum aciem sæpiùs *tingebant viperina sanie* & *Sangvine humano*, irremiabili scelere, mortem illicò & levi quidem tactu afferente. Hoc ita faciebant: Observabant illi viperas, ubi jam peperissent: sic enim captas diebus aliquot liquescere sinebant: mox ubi computruisse viderentur satis, in ollam totum hominis sangvinem infundebant, obruebantur in sterquilinio, vase diligenter obdurato Ubi verò & hic contabuerat, eximebant, quod supernatasset jam aquosum, sanieique viperinæ permiscebant. Ita lethale conficiebant venenum. *Cal. Rhod. lib. 23. c. 10.* Hic adeò frequens fuit Sagittarum usus, ut Herodotus asseverare ausus fuerit, quod in Exampeo, locus est inter Borysthenem & Tyram, quem alii Hippanim faciunt, *ahenus illius ævo fuerit, sexcentorum amphorarum capax, ex aculeis Sagittarum modò*, conflatus.

Sagittis *numerabant* suum Exercitum. Sic *Ariantam* eorum Regem injisse numerum, allatâ ab unoquoque sagittâ unâ.

Sagittis quoque *dies vitæ* numerabant. Nam ut Plutarchus & ex eo Erasmus in Chiliad. referunt, eorum mos fuit ut vesperi, priusquam dormirent, Calculum in pharetram immitterent candidum, si fortè is dies citra molestiam abiisset: atrum, si secus. Demùm uti quis vita decederet, ejus pharetram proferebant: in qua si plures candidos calculos reperissent, felicem pronunciabant; contra si plures nigros infelicẽ. Atq; hinc vitæ summam æstimârunt. Unde proverbium: *Bonus è Pharetra dies.* Et nostrorum Gothorum olim eadem, quæ

Sagittarum usus apud Sarmatas.

Scytharum suppellex erat: *Jugum boum, aratrum, Sagittarum pharetra: quibus cum amicis utebantur & adversùm inimicos.* Aliter tamen arcubus utebantur *Principes* Gothorum, aliter milites communis sortis. Arcus habebant ex humeris suspensos sine quadam pharetra Principes, cæteros cum pharetra gestare solitos. Ita Sidonius

Theodoricus Gothorũ Rex Sagittarius quantus!

Apollinaris in Epistola ad Agricolam, de Theodorico Gothorum Rege: *Inter hæc*, inquit, *intromissis gentium legationibus, audit plurima, pauca respondet. Si quid tractabitur, differt, si quid expediat, accelerat. Hora secunda surgit è solio, aut thesauris inspiciendis vacatu rus, aut stabulis. Si venatione nunciata, procedit arcum lateri innectere, citra gravitatem Regiam judicat. Quem tamen si cominus avem feramque monstres vianti, manui post tergum reflexæ puer inserit nervo loroque fluitantibus. Quem sicut puerile computat, gestare thecatum, ita muliebre accipere jam tensum. Igitur acceptum, modò insinuatis è regione capitibus intendit, modò ad talum pendulum nodi parte conversa, langventem chordæ laqueum, vagantis digito superlabente*

bente prosequitur: & mox spicula capit, implet, expellit, quidve cupias, percutit, prior admonet. Eligis quod feriat, quod elegeris ferit. Quod si ab alterutro errandum est, rariùs fallitur fugientis ictus, quàm destinantis obtutus. Similia refert Alexander ab Alexandro lib. 6. Genial. dier. cap. 22. num. 376. scil. quod *Scythis his adeò Sagittarum studium fuerit, ut dextrâ & sinistrâ pariter jaculari, & vice alterna in hostes mittere, sublato discrimine callerent.* Hic observet benevolus Lector, quantum fuerit in sagittatione exercitium apud Gothos. Ad hoc alludit Claudian. in Panegyr. ad Stilic.

Non vaga Hunnorum feritas, non falce Colonus
Non arcu pepulêre Getæ, non Sarmata Conto.

§. II.
De Gladiis & Baltheis Gothorum.

Gladij Gothorũ Spata. Spata quale nomẽ? num latinum? Num Teutonicum? Est Sarmaticum?

PRæterea & Gladius fuit illis communissimum telum. Gothis aliter dictus, scilicet *Spata*, attestante Vegetio lib. 2. c. 15. Isidorus lib. 18. putat esse vocabulum hoc Spata, *Latinum*, dictumque esse, quod Spata *Spatiosa* sit, i. e. *lata* & *ampla*. Vegetius c. l. dicit, quod Germanorum (Gotho-Germanorum) lingvâ dicatur *Spata*, *Gladius ex utraque parte acutus, quem vulgo*, inquit, *Spatam vocant.* Cluverius lib. 1. cap 44. Antiq. Germ. putat esse Teutonicum, & derivat à *Spaten*, vocabulo Germanico, id est, instrumentum ad fodiendum ferreum, latum & anceps. Ast mihi videtur esse Gothicum ac Sarmaticum vocabulum. Siquidem adhuc in Zamogethia, Prussia, Lietvania, Curonia &c. vox Spatas & Spokas, denotet gladium ab utraq; parte acutũ. Isti gladii, & ad ictum & ad cæsim feriendum usui fuerunt. Polybius lib. 5. quibus cum damna hostibus sat magna inferre poterant, quippe ut Plutarchus habet in Camillo, de Gallis, *ita hi gladiis suis, barbarico more & sine ulla arte facientes, humeros homini & Capita detruncabant.* Has spatas prælongas ex catenis ferreis vel æneis, quidam populi ad dextrum latus dependentes habebant. Diodor. c. l. Strabo lib. 4. Ita olim Romani & Galli gestabant, nimirum ad *dextrum latus*. Polyb. lib. 6. Horat. Epod. Od. 7. Gothorum verò gladios à fœmore lævo dependisse inde mihi persuadeo, quod nemo Historicorum, quod sciam expresè scribat, illos à fœmore dextro gestasse unquam gladios. Mihi omninò probabile videtur, Romanos, Gallos, Teutonesque ad dextrum latus suspensos gestasse enses, â Gothis verò didicisse, ad lævam gestare, prout modo Sarmatæ nostri. Etenim Sidonius Apollinaris *in Carmine 2. de Gothico cultu* expresè de Gothis hoc quasi notabile refert, quod *ad latus lævum gladios suspensos habuerint.* Agathias quoque hoc habet de armatura Gotho-Germanorum; *Gladius è femore levo, è latere scutum dependebat.*

Gladios à dextro latere gestârunt Romani, Galli. Gothi à lævo.

Ad hoc utebantur *Baltheo*, qui juxta Isidorum Etymol. l. 29. c. 33. dicitur, non solùm, quo cingimur, sed etiam à quo arma dependent. Apprimè nobis suspendendi gladios modum describit sæpè laudatus Sidonius

Baltheus Gothorum.

donius, lib. 4. Epist. 22. de *Segismeris* Regii Gothorum juvenis comitatu. *Penduli*, inquit, *ex humero gladii*, *baltheis supercurrentibus strinxerant clausa bullatis latera rhenonibus.* Baltheos, probabile est, fuisse latos, adeò, ut alvum angustum latusque benè succingere potuerint. Baltei hi, præprimis nobilium & principum bullis ornabantur, sæpiùs aureis. Sidon. c. l. Inde *Bullati Baltei.*

§. III.
De Hastis & Lanceis Gothorum majoribus.

Gothorum hastæ majores.

PRæter Gladios, & *Hastas* habuerunt Gothi, eorumque confines, præsertim *Bohemi* & *Boji.* Dictæ sunt quoque *Lanceæ.* Lancea Isidoro lib. 18. c. 7. est *hasta*, *amentum habens in medio. Amentum* autem erat *Lorum*, *medio hastilis obtortum*, *quo arrepto lancea manu impellebatur.* Inde Silius Ital. lib. 2.

Hasta juvatur
Amento, *renovantquè nova fornace bipenneis.*

Suevis id teli genus tribuit Diodor. lib. 5. de Germanis & Gallis. Lancearum harum usus in nostra adhuc Sarmatia manet, vocanturque *Kopie* telum cataphractis Sarmatis, sive Hussariis proprium.

Lanceæ unde nomen?

Vocabulum *Lancea*, quod attinet, Varroni apud Gellium lib. 15. c. 20. est *Hispanicum*. Aliis Teutonicum. Teutones enim idem retinent dicuntque **Lantze**; inde plerique derivant illud, **Lantzknecht**/ quo quasi Lanciarium militem denotant. Me judice, vox hæc **Lands-knecht** melius derivatur, à vocibus **Lande** & **Knecht**, quasi **Landes-knecht** i. e. miles provinciæ proprius, qui pro certo salario provinciæ inservit. Gothos nostros antiquos eo vocabulo olim usos fuisse exinde mihi probabile videtur, quod istud vocabulum adhuc apud Nadravos, Zamogetos in usu sit, a in ie, more illis consueto, mutatâ; Derivatur autem à verbo lienkstu, quod movere, torquere se, denotat, sic dicta hasta hæc, quod vibrando lanceæ istæ prælongæ scil. se quasi torqueant, moveant, illarumque cuspides modò huc, modò illuc se vertentes, minentur hosti, quem appetunt, exitium. Inde apparet, vocabulum hoc agnoscere Sarmatiam pro patria. Ex Authoribus patet, id teli genus Gothicis populis perquàm familiare fuisse, imprimis Marcomannis, & aliis, quorum procera membra hastas ingentes gestare valebant, ad vulnera facienda quam procul. Has ingentes hastas suâ lingvâ *Frameas* vocarunt, Ita Tacitus c. l. *Hastas*, inquit, *vel ipsorum vocabulo frameas gerunt*: *angusto vel brevi ferro*, *sed ita acri*, *& ad usum habili*, *ut eodem telo*, *prout ratio poscit*, *vel eminùs pugnent.* Eminùs, sensu ut videtur Taciti, non quod longius in hostem ejaculentur, sed quod longâ, & protensâ hastâ pugnaverint; sicut cominùs hastâ collectâ. Sic enim se explicat Tacitus lib. v. historiarum, dicens. *Prælongis hastis fluitantem militem eminùs fodiebant.* Ariano hoc telum vocatur *Xistum*, aliis *Sarissa.* Unde nomen? framea, haud facilè dixerim. *Teutonicum* putat Cluverius, idem-

idemque esse quod Germanis Pfriem/ Priem Preem. Denotat id *acum Sutoriam*, aut *Sartoriam*, quâ corium vel vêstis perforatur. Salvo aliorum meliora docentium judicio, puto ex Patria seu Gothica lingva posse deduci derivationem nominis illius. Denotat enim vox Bramia in Prussia, pro quo Latini & Græci fecerunt framea,) acuta ac latè jaculantia spicula. Tribuitur quidem variis rebus; Et portæ inferorum in Lingva Prusso-Gothica dicuntur bramai peklos, sensu, hoc, ex veteri quadam traditione illis emanato, dictæ, quod illæ portæ non non nisi ex spiculis longis latisque constent. Eodem sensu portæ civitatum majores hoc vocabulo vocantur, quod plerumque olim ferreis spiculis ac clavis acutis sint munitæ.

Varii autem generis fuisse lanceas patet ex Tacito, qui *majores* quasdam vocat, alias *minores*. Illas Vegetius lib. 3. c. 24. vocat *latiores lanceas & majora spicula*. De his videtur meminisse Xenophon, qui tale telum venditat pro Persico telo, & Medis familiari, alias *Palum* vocato, quod amento vibrabatur. Id innuit Strabo l. 4. *Habent* inquit, *lignum pili minoris simile, quod non amento, sed è manu vibrant.* Ubi dum huic telo amentum adimit, illi, id est, palo concedit. Pollux lib. 2. c. 10. vocat *Paltum*, interque jacula numerat. Similia ferè habet Diodorus c. l. *Hastas*, inquit, *jaciunt, lanceas illis dictas, quarum ferrum longitudine cubitum æquat, vel etiam superat, si additamenta adsint: latitudo à gemino palmo haud multum abest.* *Ancipites* fuisse patet ex Plutarcho in Mario, qui vocat istas lanceas *Bipennes*. *Pro telo*, inquit, *singuli habebant bipennem, quibus equitatus Cimbrorum antiquorum utebatur.* Ex Diodoro c. l. patet fuisse alias lanceas cum *additamentis* (ἐπιθήματα dicit Diodorus) alias sine additamentis. Illas comparat Cluverius lib. 1. c. 44. nostris hastis, quæ modò *Partisanen* audiunt. Per *Epithemata* intelligit *cuspides lunatas*, quæ in inferiori latiorique ferri parte hodie conspiciuntur in hastis nostris, quas Partisanen vocamus. De his videtur loqui Vegetius c. l. quibus belluas seu Elephantos occidebant.

Frameæ Gothorum bipennes.

§. IV.

De Lanceis minoribus, aliisquè telis missilibus.

FUerunt & intermediæ Lanceæ missiles, seu jacula ad quæ referenda sunt, quæ antiquis dicta sunt *Matar*, & *Mater*. Strabo c. l. ita: *Et hasta pro ratione & Materis, Persici jaculi quadam species.* Gothis nostris hoc telum in usu fuisse palàm videtur ex eo, quod Materis merè sit Prussicum & Zamogeticum vocabulum, atque adhuc in nostra Sarmatia sit in usu. *Miateris* enim seu *Meteris*, pro hodierna dialectu est *jaculum* propriè, à *métu*, quod est *jacio*. E sic *virgulatum* apud Prussos in *métu* vergit quasi ad *a.* sono diphtongi æ, unde antiqui ex *méteri* fecerunt Materis.

Fuerunt lanceæ quædam minores, & hæ fuerunt tela Missilia, quorum apud Auctores sæpius fit mentio. Tacitus de nostris: Pedites & missilia spargunt, pluraque singuli. Varii generis fuisse, discimus ex

Lanceæ minores & missiles.

Vegetio, ut l. 2. c. 15. cujus verba adscribere lubet: *Bina missilia, unum majus, ferro triangulo, unciarum novem, hastili pedum quinque & semis: quod pilum vocabant, nunc spiculum dicitur.* Præter hæc fuerunt quædam minora. De his Vegetius lib. 1. c. 20. hæc habet: *Missilia quædam, quibus utebatur, pedestris exercitus, pila vocabantur, ferro subtili trigono præfixa, unciarum novem, sive, pedali; barbari autem scutati pedites his præcipuè utebantur, quas Bebras vocant.* Bebræ nomen variat quàm maximè apud Auctorem hunc: Mox legit *Bebros*, mox *bebyas*, jam *brebras*, alibi *brebas.* Huic est vocabulum barbaricum. Mihi verò Gothicum, nam Gotho-Prussi vocant hoc nomine ferrum triangulare, instar hami uncati, quo piscatores utuntur in captura piscium majorum. Puto ab hoc ferro triuncali totum telum una cum capulo, sic Gothis dictum fuisse, & posse hoc totum referri ad *Lanceas uncatas*, de quibus Sidonius in Epistola ad Domitium: *Eo*, inquit, *quo comebantur ornatu, muniebantur lanceis uncatis, securibus missilibus.* His vulnerari grave sæpius erat. Patet id ex quodam viro, *Argis* nomine, à Gothis vulnerato, cujus meminit Procopius lib. 2. Hist. Goth. Verba illius hæc sunt: *Sed Argis ex facie, cum avellere medici sagittam vellent, aliquandiu periculi magnitudine territi, vulneri admovere manus non audent: non quidem oculi gratiâ, quem nullo pacto integrum servari posse in posterum suspicabantur: Sed ne in venas ac nervos interrumpendo, qualia in ea parte corporis sunt pleraque, virum ex Bellisarii familia fortissimum perderent. Medicus deinde Theoctestus nomine, in Argis cervicem innixus, sciscitabatur ab homine, num nimiùm ex suo tactu indoluisset? quo respondente dolore se procul dubio affici. Salvus ergo futurus es, inquit, nec oculi ullam patieris jacturam. Hæc medicus fidens sedulò affirmabat: quia conjecturâ perceperat, haud procul à cute spiculum penetrasse. Hasta itaque quæ fortè exstabat præcisa, colligatoque vinculis affecti hominis corpore, & ea parte, quâ plurimùm is indoluerat, interscissa, avellit statim, ac parvo molimine spiculum, tribus prominentibus hamis: cumque eo hastæ, quod reliquum erat, eduxit.* Videtur, Sidonium vocare has hastas uncatas, quas alii dicunt *hamatas.* Ita Diodorus c. l. vocat *Spicula hamata. Utũtur*, inquit, *Spiculis hamatis*, & *quæ tota sunt ferrea, eaq; certo jactu, & in longinquum mittunt, plagas inferunt prævalidas. Ancones* vocat hæc tela Agathias lib. 2. quæ hisce curiosè satis describit. *Sunt autem ancones hastæ quædam, neq; admodùm parvæ, neq; nimiùm magnæ & ad jactu feriendum, sicuti res postulet, & ubi comminùs collato pede confligendũ est, impetusq; faciendos accommodatæ. Hæ plurima sui parte ferro sunt obductæ; ita ut perparùm ex ligno adeoq; vix quantum in capulum sufficit, conspiciantur. In superiori autem parte, ad mucronem spiculi, aduncæ quædam cuspides, utrinque prominente, ex ipso spiculo instar hamorum reflexæ, & deorsum vergentes. In conflictu igitur miles hunc anconem jacit: quod si corpori inflictus fuerit, adigitur mox altiùs, ut par est spiculum, neque is, qui ictus est, facilè telum evellere potest. Obstant quippe cuspides illæ hamatæ, altiùs carni inhærentes, & acerbissimos excitant cruciatus, adeò, ut etiamsi hostem nequa-*

Uncatæ.

Ancones.

nequaquam letale vulnus accepisse contingat, ex eo tamen intereat. Si verò scuto impactum fuerit, telum statim ex eo propendet & circumagitur, infima sui parte solum verrens & versans. Is verò, qui ictus est, neque telum scuto evellere valet, hamis mordicùs inhærentibus; neque gladio præcidere, eo, quòd ad lignum gladius penetrare nequeat, ferro, quo obductum, obsistente. Id simul ac videt Francus, confestim pede insultat, & proculcans imam hastam, scutum corporis sui mole deprimit, ita ut gestantis manu nonnihil sese laxante & remittente, caput & pectus nudentur, tum intectum ille nec munitum hostem nactus, facilè obtruncat, sive secali frontem feriens, sive aliâ hastâ jugulum trajiciens. Simili modo ferè has anconas describit Procopius l. 2. hist. Gothic. qui eos Svevo-Gothis attribuit. *Habent*, inquit, *in superiori parte circa ferri aciem ipsam, recurvas utrinque tanquam hamos, laminas quasdam coacervatas, peracutasque & ad ipsius teli partem inferiorem devergentes.* Audiunt Sidonio, hæ ancones, *secures missiles. Lanceis*, inquit, *uncatis, securibusque missilibus dextræ refertæ.* Hoc telum etiam Procopius *Securim* vocat, quam hisce verbis describit: *Ejus ferrum multum & utrinque acutissimum; lignum verò admodùm breve. Hanc securim ex uno semper ligno jacientes, in primo conflictu clypeos hostium perstringere, & ipsos simul perficere solent*

Secures missiles.

Hæc securis differt à *Securi Palatina*, quâ Regum nunc Principumque satellites & corporum custodes armantur. *Hallebard* dicuntur Germanis ejusmodi telà. Vocabulum *Halle*, denotat apud Teutones *atrium palatii*, *Bard* verò denotat *securim*.

Hallebard.

§. V.

De Sauniis, Telis Gothorum.

ALiûs generis verò fuerunt jacula, quæ antiquis *Saunia* dicta, ad brevia tela ex mente Diodori lib. 5. referenda. *Horum mucro*, eodem teste, *major tamen fuit mucrone gladiorum.* Hesychio dicitur *jaculum barbaricum.* Livius ad *pila* & *veruta* refert. Diodoro σαυνιάζειν, nihil aliud est, quam *missilia spargere.*

Saunia missilia tela.

Saunia tamen multùm inter se differebant. Alia, teste Diodoro, in *directum fabricata* fuerunt, alia *tortuosos per omne ferrum habebant anfractus, ut ictum inferendo non tam secent, sed & frangant carnes & dilancinent.* Hæc sinuosa quæ flammata Saunia dicimus, fuerunt tela ferrea. De quo idem Diodorus: *Utuntur & spiculis hamatis, & quæ tota sunt ferrea, eaque certo jactu & in longinquum mittunt, plagasque inferunt prævalidas.* Hæc illa de Brittannis deque nostris Germano-Gothis. Et extra omne dubium pono, apud Gothos nostros hæc tela fuisse in communissimo usu. Etenim non modò apud Prussos Nadravos, Zalavonas, Zamogethas, Lietvanos &c. idem vocabulum, sed & res ipsa, in exercitiis juvenum bellicis reperitur. *Saunia* adhuc dicitur illis *spiculum*, *quod impetu vibratum quasi volat*, i. e. *Spiculum volans:* scil. quod *saunat*, i. e. *velociter procedat.*

Tortuosa.

Spiculum volans.

dat. Certam enim ſpiculis iſtis, ingenui in Nadravia, Zamogethia &c. adoleſcentes petunt metam, certo quodam aſſignato præmio.

Hæc jaculatoria tela, communi quaſi vocabulo dicebantur Romanis *Pila*. His Gothi lubentiſſimè utebantur. *Totilas* Gothorum Rex teſte Procopio [a] contra Romanos pugnans, juſſit ſuos Gothos, ne quoquam pacto Sagittis, vel alio telorum genere, præter pilo in prælio uterentur. Ammianus Marcell. [b] ſpicula iſta vocat *veruta miſſilia*, *ferratas arundines*. Telis his non adeò magnis, magnas tamen res Gothi faciebant. Ita enim citatus Procopius, [c] de Gothis eorumque auxiliaribus populis loquens; *dolabra ſecureſque ancipites geſtant, & brevia pro Patria conſuetudine tela quæ ipſi*, Anconas *vocant & quibus res magnas, cùm opus eſt, gerunt: & tunc præſertim, cum pede collato decertant, aut in hoſtem incurrunt.*

§. VI.

De Kutis ſeu Kucis Gothorum.

Fuerunt & tela alia, Scilicet *Kuti*, Dio. lib. 38. deſcribens Svevo-Gothorum cum Cæſare bella, meminit hujus teli, κουτὰς Hos Kutos putat eſſe eadem tela, quæ Marcomannorum fuerunt, & nomine prælongarum haſtarum veniunt; imò eadem, quæ Teutones vocant, *haſtam longam*, **Ein langer Spieß**. Hiſpani, Itali, Galli, Angli, *Picam longam*. Sed num Picæ hæ longæ Kuti illi Dionis ſint, dubito, cum pica longa ſit tantum peditum nec equitum; neque commodè vel cùm effectu ab equite, ſine amento poſſit uſurpari, neque, quod inſtar Lancearum unquam amentum habuerit, ullus AA. quod ſciam, dicat. Quicquid tamen de his ſit, mentio harum rerum anſam nobis largitur, de *Kucis* Pruſſo-Gothorum hìc quædam inſerere. Id teli quoddam genus fuit, quod meritò *fuſtem* dixeris. Sic quoque Tacitus, [d] id telum vocat, de Æſtiis, Succini olim collectoribus, ſcil. Pruſſis loquens: *Rarum*, ait, *ferri*, *frequentem verò fuiſſe fuſtium uſum.* Fuſtibus enim olim Gothos uſos fuiſſe, uberrimè proſequuntur AA. Jornandes, Procopius, Johannes & Olaus Magni, præcipuè Joann. Loccenius [e] Schefferus. [f] Fuerunt autem fuſtes non unius generis. Alii erant *majores*, alii *minores*. Majores erant inſtar clavæ majoris ad ſeptem & ultra pedes longæ, ex juveni nodoſaque arbore, in cujus inferiori parte plumbum infuſum latebat. Inde aliis audiunt clavæ *plumbatæ*. Minores fuſtes itidem plumbis implebantur. Harum ſex vel octo ſæpius Gotho-Pruſſi geſtabant, circa baltheum repoſitas. His olim Pruſſi contra Maſovios & Ordinem Teutonicum res non contemnendas effecerunt. Memorabile eſt, quod Nicolaus Jeroszin & imprimis Chronicon MS. Auctoris ut creditur cujuſdam Comitis à Waldek (quod cura ſingulari in Bibliotheca Excellentiſſimi ac Illuſtriſſimi Domini Joann. Ern. à Wallenrod ſupremi in Pruſſia Conſiliarii ac Aulæ Magiſtro aſſervatur) referunt de quodam Pruſſo nobili, *Miligedo* nomine, Viro multùm procero robuſtiſſimoque. Hic ad fidem Catholicam

Kuti longæ haſtæ.

Fuſtes quales? Majores clavæ.

[a] lib. 3. Rer. Gothic. [b] lib. 16. [c] lib. 2. hiſt. [d] lib. de morib. German. [e] lib. 3. antiquit. Sveco-Gothor. c. 2. [f] In Upſalia antiqua.

licam conversus Prussus, Ordini Teutonico contra Prussos Paganos militabat, castrum Bartensteinense tùm temporis oppugnantes. Hic, inquam, Miligedo clavam ejusmodi octo ulnarum, i. e. ad 15. & ultra pedes longam, plumbo impletam contra hostes in campo gestavit; putatusque est præstitisse cæteris viginti viris arte & manu bellica. Hunc ut extra munimina castri elicerent, vel caperent Prussi (Putabant enim Prussi pagani, si hunc caperent vel occiderent, dimidium se totius præsidii partem cœpisse vel occidisse) subornarunt alium quendam virum, similiter procerum nomine *Wango*, unde Generosissima *Lesge-Wangiorum* familia originem duxisse creditur, qui hunc Miligedonem ad singulare certamen provocaret. Miligedo vir acer generosique spiritûs, non detrectabat duellum. Conveniunt ergò ambo, immensis istis plumbatisque clavis armati, ac forti animo manuque alterum alter aggreditur. Wango eo audaciæ ac fortitudinis erat, ut Miligedonem ad aliquem repulerit locum, ubi quinquaginta in insidiis positi fuerunt viri; qui magno simul cum impetu irruunt in Miligedonem. Miligedo recollectis animi corporisque viribus hos quinquaginta viros tanta aggreditur fortitudine ut ad viginti viros eo congressu solus occiderit, seque in castrum illæsus receperit. Præstitit hoc beneficio suæ clavæ plumbatæ.

Minores clavæ.

Minores clavæ potissimùm ad jaculandum erant aptæ, earumque usus plurimùm apud Prussos valuit. Prussis antiquâ lingvâ Prussicâ dictæ sunt Kucei gissatai, Zamogethis modernis dicuntur Kucei gisloczei i. e. clavæ nodosæ, nervosæ. Probabile mihi videtur, hoc clavarum missilium genus fuisse gæsos illos, quorum mentionem faciunt Strabo lib. V. & Polybius l. 2. Plutarchus in Marcello. Hoc tamen cum discrimine, quòd apud Gallos, qui à Gothis talia receperunt arma gæsi hi fuerint *ferrei*, apud Gothos sæpiùs lignei, valdè tamen nodosi. Hæc Nonius Marcellius. Hesychius in Lexico hoc telum ita describit. *Gæsus*, inquit, *jaculum totum ferro constans. Quidam verò mercedem sive stipendium interpretantur aut telum propulsatorum.* Pollux lib. 33. *Hasta*, ait, *tota ferrea : vocatur autem gæsus.*

Gæsus jaculum.

His telis annumerari possent Catejæ antiquorum Gothorum, quæ Horatio veniunt Cajæ. Isidoro est genus Gallici teli. Inducor ferè, hoc genus teli fuisse olim idem, quod apud Nadravos, Zalavonas, Zamogethas, Lietvanos audit *Katas*, & *Kotas*, quo non tam ad jaculandum, quam feriendum utuntnr.

Sudes jaculatoria tela.

Fuerunt & tela, quæ dicta sunt præusta, brevia, attamen ferro cuspidata ac urorum cornibus munita. Latinis *sudes* sunt dicta. Ita Salustius: *alii præustas sudes portabant.* Meminit earum Herodotus lib. 7. in Xerxis exercitu. Similiter & Statius lib. 6 Thebaid. & Virgilius Æneid. l. 7. Ad *Jaculatoria* hæc referri solent tela, teste Herodoto, qui c. l. dicit, quod *Mœsii & Afri præustis jaculis usi sint.* Nostri Gothi, cum cuspidare tela talia ferro non potuerint, urorum cornibus vel ossibus, inopiâ ferri asperârunt. Ita Plinius lib. 11. c. 37. Urorum cornibus, inquit, barbari septentrionales potant, alii præfixa hastilia cuspidant.

§. VII.

De Contis Gothorum seu Sarmatarum.

ADscribuntur Sarmato-Gothis adhuc teli genus, quod *Contos* vocarunt. Ita Claudianus ad Stiliconem:

Non arcu pepulêre Getæ, non Sarmata Conto.

Conti genus teli.

Memorabile quid legimus in fragmento Historiæ Theodorici Gothorum Regis, quod Lazius edidit, de fortissimo quodam *Avare*, qui nonnisi Conto superari potuit. Ita ille: *Theodoricus Rex Gothorũ, tandem resumptis viribus irruit supra Avares, victosque Pannoniam in fugam dirigit. Quos cum sequeretur, fines Pãnoniæ non ausus est ingredi. Ibiq; cùm castra posuisset, cum quatuor pueris in equo sedentibus, extra castra quintus egressus est, ut prævideret, ne fortè Avares denuò adversùs eos insurgerent. Cùm non procul à castris esset, Avar, nomine Xerxes, utilissimus cunctorum, singularis ad prævidendum Theodorici exercitui obviat. Qui cùm à longè repertus fuisset, missi sunt à Theodorico tres viri bellatores, ut eum aut vivum caperent, aut interficerent. Quos Avar, fugam iniens, singulatim interfecit. Denuò Theodoricus alios tres viros ad ipsum capiendum direxit, qui ab ipso quoq; Avare interfecti sunt. Postea Theodoricus singulare certamen cum Avare iniit, quem Conto in brachio feriens, diutissimè invicem cum equis gyrantibus à Theodorico Avar superatus est, quem vinctum Theodoricus secum duxit ad castra.* His contis Gothi extra bellum usi sunt, pro baculis. Inde Claudianus de bello Gothico:

--- --- Et nititur altis
Pro baculo Contis non exarmata senectus.

Ex his patet Contum fuisse tale telum, quo usi sunt maximè nobiles, Principes, imò Reges Gothorum, cujus usus non desiit in nostra Sarmatia. Contis enim istis non modò in consiliis supremi nobilitatis Mareschalli, sed & Regiæ Majestatis Anteambulones Mareschalli iis utuntur insignibus veteris Gothicæ Majestatis.

§. VIII.

De Romphæis.

Rompheas teli genus.

FUit & teli genus Gothis frequens, quod AA. *Romphæas* vocant. Familiare præcipuè fuit Bastarnis populo Gothico, olim qui Pontum & Istri ostia accoluerunt. Valerius Flaccus lib. 6. Argonaut. Gellius id teli genus proprium dicit Thracicæ nationi, Bastarnis Gothisque conterminæ. Conjectura Cluverii lib. 1. c. 44. num. 22. est, quod fuerit simile pilo Romano, de quo Appianus in Celticis & Polyb. lib. 6. quorum hastile trium ferè cubitorum longum fuit, aptumque singulis ferrum hamatum, paris longitudinis cum ipsis lignis. Ad quæ quod dicam non habeo, nisi quod apud Prusso-Gothos adhuc sudes isti Nodosa ita ferè vocentur Rombhotæ, à nodis sic dictæ, quia vocabulum Rhomba denotat nodum vel vibicem in ligno. Ista nodositas sudibus ita acquiritur: Quando arbor adhuc juvenis e. g. robur vel quercus,

quercus, crassitiem pilæ minoris acquisivit, vulneratur illa circumcirca ferro, quæ vulnera, cùm in altum & majorem adauget crassitiem arbor, nodos ex vulneribus concretis sibi adsciscunt adeò nervosos, ut non facilè ista arbor frangi possit. Hâc sudes in usum bellicum vel potiùs propulsatorium reserabantur. Quod autem ejusmodi sudes, quos & Kucos, de quibus supra vocant, habuerint antiqui Gothi, ex superioribus patet.

§. IX.
De Sparis Gothorum.

HAbuerunt quoque telum nomine *Sparus*, quod Nonnius Marcell. vocat *telum agreste*: Item Virgilius lib. 10. Æneid.

Agrestis manus armat Sparus.

Meminit hujus Varro Meleagris dicens: *Aut ille cervum, qui volabile currit, sparo secutus tragulâve trajicit.* Telum fuit rusticum & venatorium. Pompejus Festus & nomen & inventionem Gallis tribuit. Ast cùm hodie Gallis non sit commune, id nomen aliis puto adscribendum. Silius Ital. lib. 3. dicit Hispanorum fuisse telum præcipuè Vettonum, (fuit natio Hispanica) quod potissimùm in venationibus usurpabatur. Commune tamen variis fuisse populis hoc telum patet exinde, quod *Teutones* adhuc utantur, à sua lingva *Speer* vocant. Romanis in usu fuisse patet ex Gellio lib. 10. c. 25. item ex Cicerone in Oratione pro Milone. Nostri quoque Prusso-Gothi eodem olim & nunc usi sunt, vocantque *Spirrus*, à *Spirru Spirti*, quod denotat propulsare aliquem à se, & videtur nomen hoc radicetenus esse Gothicum. Sed liberum cuilibet sit suo sensu in his abundare.

Sparus fuit telum venatorium.

§. X.
De Grosphis.

ADhuc telum est Grosphus Antiquis nomine, quod ita Strabo lib. 4. describit. *Habent & lignum quoddam, Grosphi forma, quod non amento, sed manu torquetur: longius etiam quàm telum, quo maximè utuntur ad aucupium.* Polybio lib. 2. est *hasta velitaris, crassa digiti unius.* Cluverio est *telum Gallicum, teretri ferro, sine amento,* cujus usus merè ad aucupium fuit.

Hoc tamen in genere notandum venit, quod tenuis in commune fuerit Gothorum militum armatura, quæ ad ornatum haud variâ indiguit opificum Arte. Ita Agathias lib. 2. Histor. Gothic. de auxiliaribus populis Gothicis, qui Ducibus Leutari & Bulthino advenerunt, loquens; *Milites*, ait, *arma parabant, siquidem alibi* secures *acuebantur; hic patria tela, quæ illi* ancones *dicunt: illic verò fracta resarciebantur, ejusmodi cæteræ huic nationi tenuis & neglecta armatura, & qua non varia ad ornatum indigeat opificum arte, nisi eorum, qui ita utuntur, si quid forte, ut fit, corrumpatur. Arcus, funda & tormenta ejusmodi. Dolabra securesque ancipites gestant, & brevia pro*

Grosphus tenuis armatura.

patria consuetudine tela, &c. &c. Non tamen hæc dixerim de Nobilium & Principum virorum armis, quorum ornatus sat illustris & pretiosus fuit attestante Procopio lib. 3. Hist. Gothic. referente ibidem de Vitige Gothorum Principe, qui Bellisario cum 2000. militibus auxilio venit. *Nam Vitiges*, inquit, *ad cætera ornamenta armis indutus processerat, auro abundè cælatis. Ex equiqúe ornatissimi phaleris, ita pilo & lancea noscitabatur, purpuraqúe & regia veste, & equo ipso, præcipuè, quo ille miræ magnitudinis vehebatur.* Huc spectat, quod Sidonius Apollinaris in Epistola ad Domitium refert, cùm Sigismerum Gothum delineat, regium juvenem: *Tu*, inquit, *cui frequenter arma & armatos inspicere jucundum est, quam voluptatem putamus concipies, si Sigismerum regium juvenem, ritu atque cultu gentilitio ornatum utpote sponsum, seu petitorum prætorium soceri expetere vidisses: illum quidem equus phaleris comptus, imò equi radiantibus gemmis onusti antecedebant, vel etiam subsequebantur. Penduli ex humero balthei, vel gladii baltheis supercurrètibus, strinxerat bullatis latera regionibus.*

CAPUT III.

De Machinis Gothorum bellicis.

Gothorum Excursiones tumultuariæ

GOthorum gentes, multis plerumque silvis & solitudinibus tectæ, insuper paludibus ac fluminibus defensæ, non tamen facilè quietem sustinebant, inopinatis sæpiùs incursionibus Romano Imperio ac vicinis gentibus infestæ. Sic in vicinorum loca excurrentes, ad fabricandas machinas bellicas, utpote tumultuario graves militi vix animum adjecerunt. Successu tamen temporis, cùm jam extra patrias oras, in confiniis Romani Imperii consederint, multaque loca, castella, urbes in iisque simul machinamenta varia interceperint, utique ad expugnandas Romanorum & Vicinorum munitiones bellicas vel suas defendendas sibi, more Romanorum, & aliorum populorum, fabricare aut interceptas necesse habuerunt usurpare machinas: quarum quidem multæ ac variæ fuerunt. Præcipuas tamen & quæ considerationem hîc merentur, benevolo Lectori ex AA. proponemus.

§. I.

De Curribus falcatis.

Currus falcati,

Quadrigæ & Bigæ.

Figura & Impetus quadrigarum.

CUrrus falcatus erat pugnacis vehiculi genus, *barbaris*, ut ait Vegetius lib. 3. c. 24. potissimùm nationibus in usu. Innotuerunt hi currus Romanis, tempore belli cum *Mettridate* Ponti Rege ac Gothicorum populorum. Jungebantur equis tum *quatuor*, tum *duobus*. Illi dicebantur *quadrigæ*: hi *bigæ falcatæ*. Varii his tamen usi sunt in bello populi. *Parthi*, Gens Gothis vicina, Veget. c. l. *Persæ*. Front. l. 2. c. 22. Curtius. l. 4. *Impetum & figuram* earundem, præsertim *quadrigarum*, (quæ Xenophonti, l. ἀναβάσεως primo dicuntur: ἅρματα δρεπανήφορα,) Curtius c. l. indicat, cujus verba adscribimus: *Ipse*, inquit,

quit, *ante se falcatos currus habebat, quos signo dato universos in hostem effudit. Ruebant laxatis habenis aurigæ, quo plures nondum satis proviso impetu protererent. Alios ergò hastæ, multùm ultra temonem eminentes, alios ab utroque latere demissæ falces laceravêre.* Et iterum c. l. *Ducentæ falcatæ quadrigæ, unicum illarum gentium auxilium secutæ sunt: ex summo temone hastæ præfixæ ferro eminebant. Utrinque à Jugo ternos direxerant gladios, & inter radios rotarum plura spicula eminebant in adversum: aliæ deinde falces summis rotarum orbibus hærebant: & aliæ in terram demissæ, quicquid obviam concitatis equis fuisset, amputaturæ.* Fuerunt & alii Currus falcati, quorum meminit Anonymus Auctor In libello de rebus Bellicis, Notitiæ Romani Imperij adjecto. *Hujuscemodi*, ait, *pugnacis vehiculi genus, quod armis præter morem videtur instructum, reperit Parthicæ pugnæ necessitas. Sed hoc singulis benè munitis invecti equis duo viri, vestitu & armis, ferro diligenter muniti, citato cursu in pugnam rapiunt, cujus posterior supra currum pars cultris in ordinem extantibus communitur, ne facilis à tergo cuiquam præbeatur adscensus. Falces verò acutissimæ axibus ejusdem currus aptantur, in lateribus suis ansulas habentes, quibus innexi funes, pro arbitrio duorum equitum laxati quidem explicant, repressi autem erigunt falces. Qualia verò hujusmodi machinæ funera hostibus immittant, vel quas turbatis ordinibus strages efficiant, dicent meliùs, qui usu bella conficiunt.*

Alii currus falcati.

Præter hos fuerunt etiam aliûs generis falcati currus, dissimiles à præcedentibus, novitatis aliquid habentes, ad *bigas* tamen referendi. *Machinæ hujus*, inquit Auctor citatus, *admiratio habet novitatis aliquid. Est enim à superioribus curribus quadam parte dissimilis. Hinc enim posterior vehiculi pars verberibus spontaneis ad incitandos equos, & clypeis acuto ferro circumdatis, velut in propugnaculo positis communitur.*

Bigæ falcatæ.

§. II.
De Remediis contra Currus falcatos.

HI currus falcati, magnum olim Romanis & Græcis intulêre terrorem, qui deinde, inventis impedimentis derisui fuêre. Variis autem modis prohibebant Romani & Græci illorum impetum. Maximè hac Romanorum militum arte perierunt. Ubi ad pugnam ventum est, repentè toto campo Romani *tribulos* vel *murices ferreos* abjecerunt, in quos currentes quadrigæ, cùm incidissent, deletæ sunt. Tribulus autem quatuor palis confixum propugnaculum, quod quomodò abjeceris stat, & erecto quarto infestum est. His tribulis utebantur contra equos, Camelos & Elephantos hostium. De quo Herodianus lib. 4. *Romani*, ait, *quoties pedem conferebant, facilè scilicet adversarios superabant: postea verò quam ab equitatu & camelorum multitudine premebantur, fugâ simulatâ, tribulos aliaque machinamenta ferrea acuminata projiciebant, quæ sub arenis latentia, nec cuiquam conspecta perniciem equitibus & camelorum insessoribus adferebant.*

Impedimenta curruum falcatorum.

Tribuli seu murices.

Tribulorum usus.

 Quippe

Quippe illis calcatis equi, potissimùm verò Cameli, quoniam huic generi mollissimæ sunt ungulæ, succiduè claudicabant, excussis tergo insessoribus.

Pali in terram defixi. Aliam quoque rationem prohibendarum quadrigarum L. Sylla invenit, qui *palos* in terram defixit, inter quos milites quadrigis venientibus tuti essent, teste Frontino lib. 2. c. 2.

Resistebant aliter Græci, de quibus Curtius lib. 4. *Currus*, inquit, *qui circa prima signa turbaverant aciem, in phalangem erant invecti. Macedones confirmatis animis in medium agmen accipiunt. Vallo similis acies erat: junxerat hastas & ab utroque latere incurrentium ilia suffodiebant; circuire deinde currus & propugnatores præcipitare cæperunt.* Simile remedium excogitavit Alexander Magnus: præcepit enim suis, ut si falcatos currus cum fremitu Barbari emitterent, ipsi laxatis ordinibus impetum incurrentium exciperent: haud dubius sine noxa transcursuros, si nemo se opponeret: sin autem sine fremitu immisissent, eos ipsi clamore terrerent, pavidosque equos telis utrimque suffoderent. Curtius c. l.

Laxati ordines.

Cãpus haud planus. Sic tandem currus hi aboliti tandem fuerunt, quod levi impedimento retineri potuerint, nec semper planum, quem requirebant, campum invenerint Veget. lib. 3. c. 24.

§. III.

De Essedis.

Essedæ. HUc referuntur *Essedæ*, ex quibus olim Brittanni, quo nomine Veteres plerumque septentrionales maris accolas, Gothos scilicet, (barbaros illis tunc populos,) indigitabant, pugnare soliti fuerunt. De quo ita Cæsar lib. 4. de bello Gallico. *Genus*, inquit, *hoc est ex essedis pugnæ:* Primo *per omnes partes perequitant & tela conjiciunt; atque ipso terrore equorum & strepitu rotarum, ordines plerumque perturbant. Et cùm se inter equitum turmas insinuavêre, & ex essedis desiliunt, & pedites præliantur. Aurigæ interim paulùm è prælio excedunt, atque ita se collocant, ut si illi à multitudine hostium premerentur, expeditum ad suos regressum habeant. Ita mobilitatem equitum, stabilitatem peditum in præliis præstant, ac tantum usu quotidiano & exercitatione efficiunt, ut in declivi ac præcipiti loco incitatos equos sustinere, ac brevi moderari ac flectere, & per temonem percurrere, & in jugo insistere, & inde se in currus citissimè recipere consueverint.*

Ex iis pugna qualis?

§. IV.

De Carris Gothorum seu eorum Carragine.

Carrago Gothorum. REferimus hûc quoque *Carros Gothorum*, quos Veteres Authores *Carraginem* vocabant, quâ castra metabantur. De qua Vopiscus in vita Aureliani, cùm epistolam Valeriani Cæsaris ad Aurelianum scriptam, in qua illum ad bellum Gothicum adhortatur, recenset. *Tuum est*, inquit, *pro virtutibus tuis, atque solertia illic hyemalia & æstiva disponere, ubi tibi nihil deerit: quærere præterea, ubi sit* carrago *hostium.*

stium. Et Trebellius in Claudio, de Gothis ab eo profligatis, *Claudio igitur*, inquit, *Scriptores adulantur, quia duo millia navium barbararum & trecenta viginti millia armatorum delevit, oppressit, attrivit, qui carraginem tantam, quantam numerus armatorum simimet aptare potuit, & parare, nunc incendia fecit, nunc cum omnibus familiis Romano servitio deputavit.* Hâcce plerumque Gothi, tùm in acie, tùm extra aciem se muniebant. Scilicet, carris suis in orbem convexis ad similitudinem castrorum securas à supervenientibus exigebant noctes. Veget. lib. 3. c. 10. In iis *impedimenta collocabant omnia, & Sarraca crebra disponebant.* Sisenna (apud Nonnium) 4to histor. Meminit carrorum Ammianus lib. 31. *Unde*, ait, *haud longo spacio separatum vulgus inæstimabile Barbarorum ad orbis rotundi figuram multitudine digesta plaustrorum, tanquam intra muranis cohibita spaciis, otio fruebatur & ubertate prædarum.* Et paulò infra. *Octavo tamdiu die hostium carpenta cernuntur ad speciem rotunditatis detornata digestaque.* Hanc orbicularem carraginem duplici *muniebant fossa*, alternisque asperabant *sudibus.* Eò alludit Claudianus 2. in Ruffinum:

Ejus usus.

Vix alpes transgressus erat, nec jam amplius errat
Barbarus, adventumque tremens se cogit in unam
Planiciem, tutoque includit pascua gyro.
Tum duplici fossa, non exuperabile vallum
Asperat alternis sudibus, murique locatum
In speciem, cæsis obtendit plaustra jumentis.

Usus Carrorum fuit quoque in Acie. Carragine nimirùm aciem circumdederunt, ne qua spes in fuga relinqueretur. Eò præter impedimenta ac belli necessaria, *mulieres* imposuerunt, quæ in prælium proficiscentes milites passis crinibus flentes implorabant, ne se in servitutem Romanis traderent. Jul. Cæs. Com. 6. de Acie Ariovisti. Dispositionem horum carrorum nobis describit Nicetas Choniates in vita Joannis Comneni imperii ejus anno quinto: *Gothi*, inquit, *trajecto Istro Thraciam Macedoniamque populabantur. Omnes currus in Orbem composuerunt, iisque haud exigua copiarum suarum parte imposita pro vallo usi sunt, ac multos obliquos aditus, platearum instar, in iis reliquerunt. Cùm igitur à Romanis urgerentur, tergis obversis intra currus, tanquam munitam arcem, nullo fugæ incommodo sese recipiebant. Inde viribus reparatis, tanquam fortes erumpentes fortiora facinora edebant. Neque ea res alia erat, quàm mœnium expugnatio: quæ in media planitie Scythæ ex tempore struxerant, unde factum, ut Romani labore irrito fatigarentur. Pugnabant ibi copiæ carragini impositæ & insimul mulieres.* Sæpiùs fugatis in acie viris teste Orosio lib. 5. c. 16. *Mulieres graviorem penè excitavêre pugnam: quæ plaustris in modum castrorum circumstructis, ipsæ desuper propugnantes diu propè repulerunt Romanos. Ea erat fortitudo mulierum, ut crudelissima quæque mortis genera captivitati præponerent. Sic cùm à Romanis, Gothicæ mulieres in plaustris novo cædis genere terrerentur,* (abscissis enim

In Acie.

Gothi libertatis tenacissimi.

Carraginis dispositio.

Mulierum Gothicarum fortitudo.

cum crine verticibus horrido vulnere turpes relinquebantur) *ferrum, quod in hostes sumpserunt, in se suosque verterunt: nam aliæ concursu mutuo jugulatæ: aliæ funibus per equorum crura consertis, ipsisque continuò equis exstimulatis, postquam suis iisdem funibus, quibus equorum crura nexerant, indidère cervices, protractæ & exanimatæ sunt: aliæ laqueo sese subreptis plaustrorum temonibus pependerunt. Inventa est etiam quædam, quæ duos filios, trajectis per colla eorum laqueis ad suos pedes vinxerit, & cum se ipsam suspendio morituram dimisisset, secum traxerit occidendos.* Hæc Orosius cit. loc.

Carrus nomen unde?

Carrus vocabulum, quod obiter hic monemus, purè Sarmaticum est, originem ducens à voce *Káras*, quod in nostris Sarmatiæ oris *bellum* significat. Inde *kareji, bellatores*, seu *qui in bellum procedunt*, adeoque *Carrago* nihil aliud est, quàm *multitudo bellantium*, seu potiùs, *statio militum, qui plaustra, in quibus impedimenta sua cum uxoribus & liberis habebant, secum ducebant.* Quare non malè Cælius Rhodigenus lib. 18. c. 29. judicat, vocabulum carraginis non omninò accipi debere pro curruum multitudine in bellis adhibitorum.

§. V.

De aliis Machinis bellicis, & imprimis de Testudinibus Scutariis.

Machinæ bellicæ.

HAbuerunt præterea Gothi, alias adhuc, quibus utebantur, tum in obsidione, tum in defensione urbium, machinas; easque varias, multis deinde populis communes. Vegetius c. l. c. 3. antiquorum machinas referens, enumerat sequentes: *Testudines, arietes, falces, vineas, pluteos, musculos, scalas, sambucas, exostras, tollenones.* Hæ fuerunt machinæ in obsidiis potissimùm urbium. Habuerunt quoque tormenta, per quæ defendebatur murus urbis; fueruntque *balistæ, Onagri, Scorpiones, arcubalistæ, fustibali, sagittarii, fundæ*, &c. His addi possunt *culcitræ, laquei lupi, columnæ graviores* &c. contra arietes olim utiles. Præter alias defensiones, quæ *bitumine, sulphure, pice liquida, oleo incendiario, taleis, saxis rotundis* & similibus fiebant. Jam de Testudinibus, quarum varia erant genera. Erant *testudines*, Romanis olim *scutariæ* dictæ, quas non tàm machinas, quàm stratagemata seu Schemata militaria nuncupamus, sub quibus *triarii* genu dextro innixi subsidebant, potissimùm in acie, scuto porrectâque hastâ phalangem hostilem expectantes & excipientes. Hoc genus Testudinum Isidorus lib. 18. sic describit: *Testudo est series armorum, umbonibus inter se connexorum.* Et alibi: *Testudo est scutorum connexio curvata in testudinis morem.* Schematis hujus bellici *Originem* Livius lib. 34. à Ludicro Circensi deducit: *Juvenes enim quidem Romani*, inquit Livius, *Ludicro Circensi, ad usum belli verso, partem humillimam muri cæperunt.* Hujus rei exercitia inter varia spectaculorum genera Romæ olim in Circo exhibebantur teste Livio, qui de his ita: *Inter cætera*, ait, *Sexageni fermè juvenes, interdùm plures ab apparitoribus ludi, armati inducebantur. Horum inductio, in parte simulachrum decur-*

Testudo scutaria.

Ejus Origo.

Ejus usus in spectaculis.

decurrentis exercitus erat; ex parte elegantioris exercitii, quàm militaris artis, propiorque gladiatorium armorum usum. Cùm alios decursus edidissent motus, quadrato agmini facto, scutis super capita densatis stantibus primis, secundis submissioribus, tertiis magis, & quartis, postremis etiam genu nixis; fastigiatam, sicut tecta ædificiorum sunt, testudinem faciebant: hinc quinquaginta fermè pedum spatio distantes duo armati procurrebant, comminatique inter se, ab imo in summam testudinem, per densata Scuta cùm evasissent; nunc velut propugnantes per oras extremæ testudinis; nunc in media inter se concurrentes, haud secùs, quàm stabili loco persultabant. H. l.

In campis patentibus.

Testudo hæc proposita, ansam dedit Romanis, duplicem excogitare testudinem ex scutis haud ludicram. Alteram, quam in campis patentibus: alteram, quam in oppugnationibus exstruxerunt. *In campis patentibus*; si quando circumfusis undique hostibus pares esse non possent; in genua milites procumbebant, & clausis undique extremis gravis armaturæ scutis, receptis in medio impedimentis, & levi armatura, requiescebant: pòst, cùm visum esset, tanquam redivivi reintegrabant prælium. Dicimus hæc & discimus à Floro lib. 10. c. 10. *Deletæ*, inquit, *reliquæ copiæ forent, nisi urgentibus telis, in modum grandinis, quadam sorte quasi docti procubuissent in genua milites, & elatis supra capita scutis, cæsorum speciem præbuissent. Tum Parthus arcus inhibuit. Deinde Romani, cùm se rursùs extulissent, adèo res miraculo fuit, ut unus ex barbaris emiserit vocem: Ite & benè valete Romani, meritò vos victores fama gentium loquitur, qui Parthorum tela fertis.* Conferatur Plutarchus in Antonio & Appianus de bello Parthico. Imò in exstruenda hac testudine ita edocti sunt Romani, ut non tantùm impedimentum & levem armaturam; verùm etiam *equites* in medium receperint. Qui ne quid aliis incommodarent, etiam equos genua flectere & se inclinare edocebant. Hæc Dio. Nicæus in Augusto. A Romanis etiam *Persæ* talem construere testudinem didicerunt. Hi enim in oppugnatione urbis *Singaræ*, cùm eorum Rex cum agmine cataphractorum fulgentium, sublimior cæteris, castrorum ambitum, audentiùs propè labra ipsa fossarum circumcursans, balistarum ictibus petitus certis, & sagittarum densitate, operturam armorum, instar testudinis contexerunt, quâ innoxius abscessit. Amm. l. 20. pag. 260.

In oppugnationibus murorum.

Altera, quam in oppugnationibus murorum construxerunt, erat teste Livio. c. l. testudini Circensi simillima, quæ parti muri admota, cùm armati superstantes subîssent, propugnatoribus muri fastigio altitudinis æquabatur depulsisque iis, in urbem duorum signorum milites transcenderunt. Id tantùm dissimile fuit, quod & in fronte extremi, & ex lateribus soli non habebant super capita elata scuta; ne nudarent corpora, sed prætecta pugnantium more. Ita nec ipsos tela ex muro missa subeuntes læserunt, & testudini injecta imbris in modum, lubrico fastigio innoxia ad imum labebantur. Meminit ejusdem testudinis & Tacitus lib. 4. Histor. Ubi de Batavis refert, se per ejusmodi testudines Romanorum castra oppugnâsse.

In navali prælio.

Alizo Roman. Tribunus.

Usus hujus testudinis quoque erat *in navali prælio*, præsertim ad protectionem ducum bellicorum, insigne facinus ingenti ausu attentantium. Sic ut à telorum conjectu defenderetur, *Alizo* quidam tribunus Roman. cùm ferream catenam valdè robustam ori Ponti Hellespontici insertam, ingenti corporis robore, supposito stipite bipenni confindere ac confringere vellet, talem Vir ille, exercitiis bellorum prudens exstruxit testudinem. *Conjunctis*, verba refero Ammiani lib. 26. *tribus navigiis, testudinem hac specie superstruxit: densatis cohærentes super capita scutis, primi transtris instabant armati, alii post has, semet curvantes humiliùs; tertiis gradatim inclinatis submissè, ita ut novissimi suffraginibus insidentes, formam ædificii fornicati monstrarent, quod machinæ genus contra murales pugnas ideò figuratur hac specie, ut missilium ictus, atque saxorum per decursus cadentes labiles, instar imbrium, evanescant.* Hæc Ammianus.

In transmittẽdis impedimentis.

Denique in locis concavis, angustis & lutosis, si hæsura visa fuerint impedimenta, exercitus, testudinem similem adhibuerunt, in transmittendis militibus, equis & ipsis etiam vehiculis. Dio. c. l.

§. VI.
De Testudinibus Arietariis, seu Arietibus.

Testudines Arietariæ. Unde dictæ arietes?

Unde Testudines?

FUerunt ad expugnationem urbium multo usu hæ machinæ. *Arietes* dictæ sunt, vel quod ipsius caput instar arietis capitis formatum, ferroque munitum fuerit; vel quod durissimam habuerit frontem, quæ subruat muros: vel quod more arietum retrocesserit, ut cum impetu vehementiùs feriret. Testudines dictæ sunt, à similitudine veræ testudinis. Quia sicut illa modò reducit, modò profert caput, ita machinamentum reducit trabem, interdum exerit caput, ut fortiùs cædat. Harum descriptionem, cùm res mechanicæ magnam per se obscuritatem habeant, quæ & aliâ adhuc difficultate gravatur, corruptorum scilicet librorum, ex quibus eos vel petere vel exponere conamur, lubet verbis Authorum benevolo proponere lectori.

Earum constructio.

Vitruvius lib. 10. c. 19. constructionem arietis vel testudinis arietariæ his videtur verbis, interprete Flavio, proposuisse. *Carthaginenses*, inquit, *ad Gades oppugnandas castra posuerunt; cùm autem castellum ante cæpissent, id demoliri sunt conati. Posteaquam non habuerunt ad demolitionem ferramenta, sumpserunt tignum; idque manibus sustinentes, capiteque ejus summum murum continenter pulsantes, summos lapidum ordines dejiciebant, & ita gradatim ex ordine totam communitionem dissipaverunt. Postea quidam faber Tyrius, nomine* Pephasmenos, *hac ratione & inventione inductus, malo statuto, ex eo alterum transversum, uti trutinam suspendit, & reducendo & impellendo vehementibus plagis dejecit Gaditanorum murum.* Cetras *autem* Chalcedonius, *de materiâ primùm basim subjectis rotis fecit, supraque compegit arrectariis, & jugis rates, & in his suspendit arietem, coriisque bubulis texit, uti tutiores essent, qui in ea machinatione ad pulsandum murum essent collocati. Id autem quod tardos conatus haberet, testudinem*

Inventores Testudinum Ariet.

nem arietariam appellare cæpit. Hæc Vitruvius, qui Carthaginensibus arietis inventionem vendicare videtur, cum quo consentit Tertullianus in libro de Pallio. Cui tamen Plinius lib. 7. c. 56. reclamat, ejusdem inventionem *Epejo* adscribens, quo usus erat in Expugnatione Trojæ.

Impetus testudinis.

De *Impetu* hujus machinæ hæc habet Josephus lib. 3. de bello Judaico: *Immensa,* ait, *est materia, malo navis adsimilis, cujus summum gravi ferro solidatum est arietis effigie fabricatum, unde nomen accepit. Depēdet autem funibus medius ex alia velut ex trutina, palis undiq; fulta. Retrorsum autem magna virorum multitudine repulsus, in fronte prominente ferro, mœnia percutit.* In obsidio Carthaginensi duos vastos arietes admotos fuisse refert Appianus lib. de bellis Punicis; alterum penè incredibili numero peditum, tribunis hortantibus impellendum: à remigibus alterum, triremium præfectis urgentibus. Conferatur Egesippus lib. 3. de bello Judaico.

§. VII.

De Variis Arietum sive Testudinum arietariarum formis & præsertim de Heliopolibus.

Communis structura Arietis.

VAriæ autem fuisse formæ, figuræ ac structuræ testudines, patet ex Authoribus: imprimis Ammian. lib. 23. Atheneo lib. 5. Vitruvio lib. 10. c. 22. Communior earum erat hæc structura. Eligebatur aries vel ornus excelsa, cujus summitas duro ferro concludebatur & prolixo, arietis efficiens prominulam speciem, quæ forma huic machinamento vocabulum indidit: & sic suspensa utrinque transversis asseribus & ferratis quasi ex lance vinculis trabis alterius continebatur: eamque, quantum mensuræ ratio patiebatur, retro repellens, rursus ad obvia quæque rumpenda, protrudebat ictibus validissimis, instar assurgentis & cadentis armati. Qua crebritate, velut reciproci fulminis impetu, ædificiis scissis in rimas, concidebant structuræ laxatæ murorum. Hoc genere operis, si fuerit exerto vigore discussum, nudato vallo defensoribus, solutisque obsidiis civitates munitissimæ recludebantur.

Helepolis.

Ejus inventio & structura.

Pro his arietum machinamentis, jam crebritate despectis, condebatur machina, scriptoribus historicis nota, quam Græci *Helepolin* cognominabant. Hujus fit mentio apud Vitruvium, lib. 10. c. 22. Diodorum Siculum lib. 20. Heliodorum. lib. 9. Plutarchum in Demetrio. Ejus inventio adscribitur *Demetrio* Antigoni filio, fabricante eam *Dioclide Abdirita* apud Athenæum lib. 5. cùm Rhodum & alias urbes expugnaret & ob id *Poliorcetas* est appellatus. Descriptio apud Ammianum est talis. *Testudo compaginatur immanis, axibus roborata longissimis, ferreisque clavis aptata, & contegitur coriis bubulis virgarumque recenti textura, atque limo asperguntur ejus suprema, ut flammeos detractet & missiles casus. Conseruntur autem ejus frontalibus trisulcæ cuspides, præacutæ, ponderibus ferreis graves, qualia nobis pictores ostendunt fulmina, vel fictores, ut quicquid petierit, aculeis exsertis abrumpat. Hanc ita validam molem, palis & funibus regens, numerosus intrinsecus miles, langvidiori murorum parti viribus admovet*

 conci-

concitis; & nisi desuper propugnantium valuerint vires, collisis parietibus aditus patefacit ingentes.

Aliam nobis Helepolis structuram exhibet *Petrus Crinitus* lib. 19. de honesta disciplina. *Eodem,* inquit, *bello in quo Rhodii simul erant, cum Ptolomæo societate conjuncti, machinam quandam, quam* urbium expugnatorem *appellarunt, eorum moenibus admovisse* Demetrium *ajunt, tali quidem figura ac specie fabricatam. Habebat inprimis quadrantem sedem, cujus unumquodque latus inter se æquale in latitudinem octo & quadraginta, in altitudinem sex & sexaginta cubitorum extendebatur; atque à postrema basi, usque ad verticem adeò gradatim extenuari videbatur, ut cùm infima sedes longè latior supremo culmine esset, egregia quædam figura ex omni proportione servata resultare videretur. Intùs præterea erant latebræ, cavernæque complures ad suscipiendos milites accommodatæ. Quâ verò hostes spectabat, frontem patefactam habebat, atque undique fenestellas tectas, quibus varia tela poterant adversùs hostes sine ullo periculo jaci. Erat præterea secundùm unamquamque speciem pugnæ, bellicosissimis viris referta, & quod supra omnia, spectantibus admirationem præbebat, tanta felicitate agebatur, ut cùm strepitum maximum ederet, in utram partem inclinaretur, conspici minimè posset; sed æquali utrinque pondere inconcussa rectaque moveretur, licet satis onerata utpote numero sat magno Funditorũ, qui lapidibus, Sagittariorum, qui jaculis: Manubalistarum, qui sagittis: Jaculatorum, qui plumbatis & missilibus è muris submoverent hostes.* Hos arietes dissolvi potuisse scribit Ammianus, c. l. ac in expugnationibus circumferri solitos fuisse, ad eum ferè modum, quem in navibus fluviatilibus habere solebant.

Machina Urbium expugnator.

Vitruvius c. l. memorat, *Epimachum* Architectum Atheniensem Helepolin eum in modum ciliciis & coriis crudis confirmâsse, ut possit pati plagam *lapidis balistâ immissi CCCLX. pondo.* In madefactione corii & aliorum stratorum *aceto* potiùs, quàm aqua utebantur. Ita Vitruvius c. l. c. 20. *Circùm tabulata,* inquit, *collocentur crates, ex tenuibus virgis creberrimè textis, maximeque recentibus percrudis coriis duplicibus consutis, fartis algâ aut paleis in aceto maceratis, circa tegatur machina tota.* Idem Sisenna 3. histor. habet.

Aliud tamen hominum excogitavit industria; materies quippe machinarum *alumine* diligenter unxerunt: quâ re effectum, ut ignis per eas innoxius laberetur. Ammian. l. 20. Ita turris materiem, ab *Archelao* alumine oblitam, L. *Sylla* non quivit incendere. Aulo Gellio lib. 25. c. 1. teste.

§. VIII.
De Testudinibus Turritis & Ambulatoriis.

HArum testudinum arietariarum aliæ fuerũt *turritæ* & *ambulatoriæ,* de quibus Hirtius de bello Alexandrino. *Præterea,* inquit, *ambulatorias totidem tabulatorum confinxerant, subjectisque eis rotis, funibus jumentisque objectis, detectis pluteis, in quamcunque visum erat*

partem,

Teſtudines turritæ & Ambulatoriæ. Minores, Majores

partem, movebant. Has turres ambulatorias, teſte Vitruvio lib. 10. de Architect. c. 19. *Diades* ſcriptis ſuis oſtendit à ſe inventas, quas etiam diſſolutas, in exercitu circumferre ſolebat. *Minorem*, ait, *opertere fieri altam cubitorum ſexaginta, latam ſeptendecim, tabulatorum decem, ſingulis partibus in ea feneſtratis : majorem verò altam cubitorum centum viginti trium S. In qua tabulata conſtituebat viginti, & habebant ſingula tabulata circuitionem cubitorum ternûm.* His turribus Vegetius c. l. tribuit *arietem* in inferiori parte : circa medium verò *pontem*, quem ſubitò milites proferebant : & per eum egredientes de Machina, in civitatem tranſibant. In ſuperioribus turris partibus *contatos* & *ſagittarios* collocabat, qui defenſores ab urbis mœnibus proturbarent.

Earum altitudo.

Superabant autem ſæpiùs turres hæ teſtudinariæ murorum civitatis & turrium altitudinem. Veget. c. l. In iis præter magnum armatorum numerum, quos ex turribus pugnâſſe certum eſt, etiam Machinæ bellicæ, ſcil. catapultæ, baliſtæ, &c. &c. diſponebantur. Livius lib. 31. Amm. l. 20. Magnum certè hâc machinâ & ingentem hoſtibus injectum fuiſſe metum, conſtat ex eo, quod refert Cæſar lib. 2. de Bello Gallico. *Galli*, inquit, *ut in caſtris Cæſaris turrim procul conſtitui primum viderunt, irridere Romanos cæperunt, atque increpare vocibus; quod tanta machinatio, à tanto ſpacio inſtrueretur : quibusnam manibus, aut quibus viribus, præſertim homines tantulæ ſtaturæ* (nam plerumque Gallis præ magnitudine corporum ſuorum, brevitas Romanorum contemptus fuit) *tanti oneris turrim in muros ſeſe collocare confiderent? Ubi verò moveri & appropinquare mœnibus viderent, nova atque inaudita ſpecie commoti, legatos ad Cæſarem de pace miſerunt. Qui ad hunc modum locuti : Non ſe exiſtimare, Romanis ſine ope Deorum bellum gerere, qui tantæ altitudinis machinationes, tanta celeritate promovere, & ex propinquitate pugnare poſſent.* Pari modo *Perſæ* ſubitò converſi ad preces, fidem Romanam panſis manibus proteſtantes, vitam cum venia poſtulabant, ſimul ut vidêre Helepolim muris appropinquare. Ammian. lib. 24. pm. 424. Sæpiùs quoque obſidentes talem exſtruebant turrim, quæ propugnaculis civitatis videretur inferior. Deinde ſecretò aliam de tabulatis intrinſecùs turriculam faciebant. Et cùm muris fuerit machina ſociata, ſubitò funibus, trochleiſque de medio turricula illa producebatur, de qua egredientes armati, quia altior inveniebatur, ſtatim capere poterant civitatem. Veget. lib. 4. c. 19.

§. IX.

De Remediis bellicis contra arietum impetum.

Remedia contra arietes.

HAs contra machinas ſolebant urbis defenſores variis occurrere modis. Primùm, ſi confidentia vel virtus militaris inerat, eruptione facta, vi, hoſtibus pulſis, machinamentum illud ingens, direptis coriis, igne exurebant. Aliàs ad majores baliſtas, malleolos vel falaricas cum incendio deſtinabant, ut perruptis coriis vel centonibus intrin-

ſecùs

Malleoli. secùs flamma conderetur. Veget. l. 4. c. 18. *Malleoli*, referente Nonnio Marcello *erant manipuli, spartei, pice contecti, qui incensi aut in muros aut in testudines jaciebantur.* Ammianus Marcellinus, cui propter conservatos plerosque bellicæ disciplinæ ritus, ac imprimis propter machinarum explicationem multùm debemus, sequentibus malleolos describit lib. 23. *Malleoli autem*, inquit, *teli genus figurantur hac specie. Sagitta est cannea, inter spiculum & arundinem multifido ferro coagmentata, quæ in muliebris coli formam, quo nentur lintea stamina, concavatur: ventre subtiliter & plurifariàm patens atque in alveo ipso ignem cum aliquo suscipit alimento, & sic emissa lentiùs arcu invalido, ictu enim rapidiore extingvitur. Si hæserit usquam, tenaciter cremat: aquisque conspersa acriores excitat æstus incendiorum, nec remedio ullo, quam supra jacto pulvere consopitur.*

Falaricæ. *Falarica* autem juxta Festum lib. 6. dicta à *fala*, i. e. ab altitudine vel à *falando*, quod apud Etruscos denotabat *cœlum*, quare falarica genus teli fuit missile, quo utebantur ex *falis* i. e. locis exstructis dimicantes. Describitur ejus figura ab Isidoro his verbis: *Falarica est telum ingens, torno factum, habens ferrum cubitale & rotunditatem de plumbo, in modum sphæræ in ipsa summitate. Dicitur etiam & ignem habere adfixum. Hoc telo pugnatur è turribus, quas falas dici manifestum est.* Meliùs tamen, sensu meo, Livius lib. 30. figuram & impe- *Falaricæ impetus.* tum hujus teli nobis exponit. *Falarica*, inquit, *erat Saguntinis missile telum, hastili oblongo, & cæterà tereti, præterquam ad extremum, unde ferrum exstabat; id sicut in pilo, quadratum stuppâ circumligabant, linebantque pice. Ferrum autem tres in longum pedes habebat, ut cum armis transfigere posset. Sed id maximè etiam, si hæsisset in scuto, & non penetrâsset in scuto, & non penetrâsset in corpus, pavorem faciebat; quod cùm medium accensum mitteretur, conceptuque ipso motu multò majorem ignem ferret, arma omitti cogebat, nudumque militem ad insequentes ictus præbebat.* Teli hoc genus balistâ mittebatur, juxta illud Lucani:

—— *Vibrata falarica nervis.*

Virgilius tamen, *manu* quoque Falaricam *Turnum* jecisse testatur lib. 9. Æneid.

Sed magnum stridens contorta falarica venit,
Fulminis acta modo; quam nec duo taurea terga,
Nec duplici squamâ lorica fidelis & auro
Sustinuit; collapsa ruunt imania membra.

§. X.

De aliis Remediis contra arietum impetum.

Remedia varia contra Arietes. HArum tamen imanium machinarum impetum ac operationes, aliis etiam ingeniosæ Mechanicorum artificum inventiones eluserunt & variis modis. Vitruvius lib. 10. cap. ult. Duo elegantissima

strata-

ſtratagemata in obſidione Rhodiorum edita commemorat: primum, quod *Callias*, Mechanicus quidam ab Arcadia ingenioſiſſimus, Rhodum cùm veniſſet, Acroaſin fecit, exemplumque protulit muri, & ſupra id machinam in carcheſio verſatili conſtituit, qua Helepolin ad moenia accedentem corripuit & tranſtulit intra murum. Alterum quod *Diognetus*, cùm ſimili ſtratagemate utendum non putaret, eoque aliam Heleopolim altiorem, latiorem, & ob hoc majoris ponderis confectam ab hoſtibus audiret, murum civitatis Rhodiæ, ea regione, quâ machina acceſſura erat, pertudit: & juſſit omnes publicè & privatim, quod quiſque habuiſſet aquæ, ſtercoris, luti, per eam feneſtram per canales effundere ante murum. Cumque ibi magna vis aquæ, ſtercoris & luti, nocte perfuſa fuiſſet, poſtridie Helepolis accedens, antequam appropinquaret ad murum, in humida voragine acta conſedit, neque progredi nec regredi poſtea potuit. Simile quoque inventum nobis refert Vegetius. Scilicet, per noctem ſub fundamento muri *cuniculum* fodebant, & illum locum, ad quem die poſtero turris fuerat promovenda, nullo hoſtium ſentiente, egeſtâ terrâ cavabant intrinſecùs: & cùm rotis ſuis moles fuiſſet impulſa, atque ad locum, qui ſubtùs cavatus fuerat, perveniſſet, tanto ponderi ſolo cedente ſubſedebat, nec jungi muris aut moveri ulteriùs potuit. Ita machina derelicta obſeſſorum poteſtati ceſſit. *Helepolis intra murum protracta.*

Habuerunt adhuc alia adverſùs arietum impetus media. Nimirum; *Culcitras, laqueos, lupos, centones, aggeres, muros in contrarium exſtructos, columnas.* Veget. cit. lib. cap. 23. pm. 90. De ſingulis pauca quædam Lectori benevolo communicabimus ex Authoribus.

Culcitra. Pro quo Gloſſæ veteres; item in Pandectis textus Florentinus in L. ſuppellectili, legunt *Culcita:* cum quibus conſentit Varro l. 4. de Latina Lingva, qui ſimul etymologiam hujus vocis nobis his verbis exponit. *Poſteaquam tranſierunt ad culcitas, quod in eas Sagus aut fomentum, aliudve quid calcabant, ab inculcando culcita dicta, ac quicquid inſternebant, à ſternendo ſtragulam appellabant.* Nimirum ſaccos paleis centonibusque confertos in eum locum demittebant, quo aries agebat. Laxo enim ſaccorum ſinu ictus arietis illius molliebatur. Duriora enim mollioribus faciliùs cedunt. Videatur Iſidor. l. 14. cap. de Ariete. Hoc ſtratagemate uſi ſunt Judæi Hieroſolymis à Veſpaſiano obſeſſi, de quo Joſephus de bello Iud. lib. 3. c. 9. Sed hoſtes eorum ſaccorum mollitie machinæ vim eludi animadvertentes, perticis falcatis lora, unde ſacci dependebant, incidebant: neque tamen Judæis, aut conſilium aut virtus poſt illa defuit, qui machinas iſtas vel igne injecto exuſſerunt, partim lapidibus confregerunt. Egeſipp. l. 3. c. 11. *Culcitra.*

Sæpiùs *laqueis* capiebant arietes. Scilicet, prominentem arietis ferream frontem, arte ſubtili illaqueatam, altrinſecùs laciniis retinuêre longis, ne retrogradiens reſumeret vires, nevé muros ferire poſſet. Ammian. c. l. Idem *Uticenſes* ſtratagema uſurpârunt contra falces, cùm à Scipione oppugnarentur. Appiano teſte de Bellis Punicis. Id quoque *Galli* fecerunt, â Julio Cæſare oppugnati. Julius Cæſ. lib. 7. de bello Gallico. Hoc ſæpè modo arietem cum tota teſtudine everte- *Laquei.*

Lupus. Bases. Murus intrinsecus.

runt. Veget. c. l. Nonnunquam in modum forficis dentatum funibus illigabant ferrum, quod *lupum* vocabant, apprehensumque arietem aut avertebant, aut ita suspendebant, ut impetum non habuerit feriendi. Interdùm bases, columnæ marmoreæ vibrato impetu jactæ è muris, quibus arietes confringebantur. Deniq; si maximâ murus vi arietibus perforatus deciderit, destructis in urbe domibus, alium intrinsecùs murum addebant, hostesque inter binos parietes perimebant.

Alia contra arietes remedia. Falces. Tridentes. Retia piscatoria. Arena ignita. Laminæ cādentes. Corvi ferrei. Coria consuta. Trabes trāsversæ.

Præter hæc fuerunt & alia inventa, arietum eludentia impetum, quorum quædam ex Diodoro Siculo lib. 17. biblioth. à Phœnicibus, Tyro ab Alexandro Magno obsessâ, excogitata referam. Illi asseribus quibus falces adnexæ erant, arietum armamenta abscindebant, ne deinceps validas in quatiendo vires haberent. Confecerunt etiam *tridentes* maximos, hamorum instar adinventos, quos in Macedones de turribus pugnantes injiciebant. Cumque scutis infixi essent, funibus eosdem, quibus revincti erant, ad se retrahebant. Erat igitur necesse, aut arma abjicere, atque ita apertos contra tela, quæ innumera mittebantur, se exhibere; aut retentis ob pudorem armis, tractos è turribus altis cadere & mori. Alii etiam *piscatoriis retibus* hostes involventes, cùm manus explicare non possent, attrahebant, atque in terram dejiciebant. Clypeos insuper æreos & ferreos fabricârunt, hisque *arenâ* repletis, flammam continuam subjecerunt, donec ignita & candens arena fieret, quam demùm per machinam quandam in hostes audaciùs cæteris pugnantes effuderunt, atque ita extremo supplicio adfecerunt. Illa enim intra thoraces & tunicas penetrans cutem gravissimè torquebat. Iidem in hostium frequentiam de machinis *candentes*, magnas *laminas* ferreas jaculabantur, quæ in tanta turba semper aliquos attingebant. Corvis quoque & manibus ferreis ex propugnaculis hostes arripiebant. *Consuta* etiam *coria* ad excipiendum missorum lapidum impetum muro prætendebant, ut nihil ictu suo offenderet. Sæpiùs arietibus *trabes transversas* opposuêre, &c.

§. XI.

De falcibus, Vineis, Pluteis Terebris, &c.

Falces. Murales Navales

FAlcibus utebantur Gothi, tum in *expugnandis*, tum in *defendendis* muris, & in *prœliis navalibus*. Illæ dicebantur *murales*: hæ *navales*. Erant autem falces, acutissima ferra, curvata ad similitudinem falcis, contis longioribus indita, quibus testudinum seu arietum armamenta; ut & in navali prælio *collatorii funes*, quibus antenna navis suspenditur, repentè præcidebantur, collapsisque velis Liburna pigrior & inutilis reddebatur.

Arietum

Contra falces remedia.

Falcibus etiam muniebantur *arietes*. Trabs enim illa, quæ figuram arietis præferebat, adunco præfigebatur ferro, quod falx vocabatur, ut de muro extrahat lapides. Hæ machinæ plerumque *laqueis* avertebantur, quo stratagemate olim usi sunt quoque *Galli*. Cæs. lib. 3. de bello Gallico, & *Poeni*, Appianus de bello Punico.

Ha-

Habuerunt & *Vineas*. Vinea fuit machina, è lignis levioribus colligata, alta plerumque pedibus octo, lata pedibus septem, longa pedibus sedecim. Hujus tectum machinâ duplici tabulatis cratibusque contexebatur. Latera quoque vimine sepiebantur, ne saxorum telorumque impetu penetrarentur. Extrinsecùs autem, ne immisso concremaretur incendio, crudis & recentibus coriis vel centonibus aceto benè maceratis operiebantur. Istæ cùm plures factæ fuerint, jungebantur in ordinem, sub quibus subsidentes tuti ad submenia murorum penetrarent fundamenta. Videtur hæc machina fuisse à Gothicis populis inventa: quippe Vegetius lib. 4. c. 15. barbarorum usui fuisse, expressè dicit, eorumque lingvâ *Causia*, vocatam. Quæ vox pro Auctorum varietate variè scripta legitur. Vegetius vocat *Causias*, alii *cautias*, alii *caucias*, alii *cautibus*, alii *cattibus*, alii *cuttos*. Causia tamen veteribus plerumque communior vox fuit, quâ præter Vegetium usus est Plutarchus, in Demetrio, & Plautus in milite & alibi. *Vineæ.*

Unde nomen? dubitatur. Amicorum nonnemo, putat esse purum Sarmaticum. Nam *Causia*, vel prout in nostra Sarmatia per K. scribitur. *Kausia*, denotat in nostris Oris Sarmaticis, Lietvania scilicet Russia, Prussia, Zamogethia &c. *excavatum*. Vineæ, autem excavatæ apparebant, ut patet ex illorum Iconibus, apud Stewechium in notis ad Vegetium h. t. *Unde nomen Kausia?* *Est Sarmaticum.*

Plutei, juxta Vegetium, c. l. dicebantur, qui ad similitudinem absidis (cassidis) contexebantur è vimine, & ciliciis vel coriis protegebantur, ternisque rotulis, quarum una in medio, duæ in capitibus apponebantur, in quamcunque partem volueris, admovebantur more carpenti; quos obsidentes applicabant muris, eorumque munitione protecti, Sagittis vel fundis vel missilibus defensores de propugnaculis civitatis exturbabant, ut scalis ascendendi facilior præstaretur occasio. Explicitè magis nobis Vitruvius, lib. 10. de Architectura c. 21. usum hujus machinæ exponit. *Supra caput*, inquit, *eorum*, *qui continebant arietem*, *collocatum erat Pluteum*, *turriculæ similitudine ornatum*, *ut sine periculo duo milites tutò stantes prospicere possent*, *& renunciare*, *quas res adversarii conarentur*. Pompejus Festus de Verborum significatione ita describit Pluteum: *Plutei*, inquit, *erant crates corio crudo intextæ*, *quæ solebant apponi*, *militibus opus facientibus*, *& appellabantur militares*: *nunc etiam tabulæ*, *quibus quid præsepitur*, *eodem nomine dicuntur*. *Plutei.* *Eorum descriptio.*

Usus Pluteorum à vineis in eo *differebat*. Plutei munitione protecti milites, oppugnantes sagittis, fundis, atque aliis missilibus defensores urbium de propugnaculis exturbabant. Vineis autem utebantur, ceu adminiculo, quo ad subruenda murorum fundamenta penetrarent. Ibi consistentibus alias pro subruendis muris adhibebant machinas. Imprimis. *Differunt à Vineis.*

Terebras, quarum inventor *Diades* habetur apud Vitruvium c. l. cap. 19. fuit machina, ut testudo, in medio habens collocatum in orthostatis canalem, longitudine cubitorum quinquaginta, altitudine cubiti, in quo constituebatur transversa sucula. In capite autem dextrà *Terebræ testudinariæ.*

ac ſiniſtrà trochleæ duæ, per quas movebatur, quod inerat in eo canali, capite ferrato tignum, ſub eo autem ipſo canali incluſi, tuti crebriter celeriores & vehementiores efficiebant ejus motus. Supra autem id tignum, quod inibi erat, arcus agebantur, ad tegendum canalem, ut ſuſtinerent corium crudum, quo ea machina erat involuta.

Dolabræ.

Adhibebant quoque *dolabras*, quibus muros ſubruebant, de quo Livius lib. 30. Ammian. l. 21. & alii. Utebantur & aliis machinis, inter quas erat machina nomine *Corvi demolitoris* inſignita, itidem à Diade inventa, de quibus Vitruv. c. l.

Corvi.

§. XII.

De Muſculis.

Muſculi.

M*Uſculi* erant minores machinæ, quibus protecti bellatores, ſi lutum obſuerit, civitatis foſſatum etiam apportatis lapidibus, lignis ac terrâ non ſolùm complebant, ſed & ſolidabant, ut turres ambulatoriæ ſine impedimento jungerentur ad murum. Vocabantur autem à marinis belluis, *Muſculi.* Nam quemadmodum illi, cùm minores ſint, tamen balænis auxilium adminiculumque jugiter exhibent; ita iſtæ machinæ breviores, deputatæ turribus magnis, adventui illarum parant viam itineraque præmuniunt. Hæc Vegetius. Videtur mihi hic Auctor alludere ad genus piſcis hoc nomine inſigniti, qui moderamine parvæ caudæ ſuæ iter balænæ regit, necubi impingat. Et quia hæc luſcioſa eſt, prævio illo piſciculo deducitur ac reducitur. Hic Dux balænæ piſcis eſt longus, colore albo, capite prælongo, anguſtâ caudâ. Ante ejus caput antecedens ipſius Dux ac quaſi temo exiſtit. Cuncta illi, teſte Æliano l. 9. c. 6. & providet, & præſentit: caudaque extrema præmonſtrat: quod ſi is Piſciculus perit, & balænæ pereundum eſt. Simile quid refert Plinius lib. 9. c. 52. *Balænæ muſculus*, inquit, *quandoque prægravi ſuperciliorum pondere, obrutis ejus oculis, infeſtantia magnitudinem vada prænatans demonſtrat, oculorumque vice fungitur.* Eò alludit *Claudianus* l. 2.

Unde nomen?

Sic ruit in rupes, amiſſo piſce Sodali
Bellua, ſulcandas qui prævius edocet undas
Immenſumque pecus parvæ moderamine caudæ
Temperat, & tanto conjungit fœdera monſtro.

Ex quo patet, has machinas in ſubſidium vel adminiculum arietum Majorum, ſeu teſtudinum, quarum viæ-parariæ erant, fuiſſe inventas.

Muſculi alii inſtar arietum.

Cæterùm fuerunt aliæ machinæ, hoc nomine inſignitæ, plurimùm à muſculis Vegetianis differentes. Scilicet machinæ, quibus muri civitatum perfodiebantur, erantque ſpecies arietum. Hæc diſcimus à Turnebo, qui libro 11. Adverſar. c. 24. ſola parvitate muſculum diſtingvit ab ariete, adeò ut minores arietes dicti fuerint muſculi: majores, teſtudines. Machina hæc, licet minor, multum tamen in devaſtatione murorum valuit. Deſcribit eam nobis Iſidorus l. 18. Etymolog.

molog. cap. de ariete his verbis: *Musculus*, inquit, *cuniculo similis fit, quo murus perfoditur, ex quo & appellatur quasi murusculus.* Varias tamen musculorum figuras earumque descriptiones nobis exhibent Authores. Ista tamen, quam Cæsar lib. 2. de Bello Civili dat, videtur nobis accuratior. De ea sic ait: *Duæ primùm trabes in solo æquè longæ, distantes inter se pedes quatuor collocantur: inque iis columellæ pedum in altitudinem quinque defiguntur: has inter se capreolis, molli fastigio conjungunt, ubi tigna, quæ Musculi tegendi causa ponunt, conlocentur. Ea super tigna bipedalia injiciunt, eaque laminis clavisque religant. Ad extremum musculi tectum, trabesque extremas, quadratas tegulas quatuor patentes digitos defigunt; quæ lateres, qui super Musculos struuntur, contineant. Ita fastigiato atque ordinatim structo, ut trabes erant in capreolis conlocatæ, lateribus lutoque musculus, ut ab igne, qui ex muro jaceretur, tutus esset, contegitur. Supra lateres coria inducuntur, ne canalibus aqua immissa lapides diluere posset. Coria autem, ne rursus igne ac lapidibus corrumpantur, centonibus conteguntur.* Hæc J. Cæs. Sub hac machina milites infima turris hostium saxa, quibus fundamenta continebantur, convellebant, quibus subductis repentina turris ruina sæpiùs oppugnantibus ingressum in urbem parabat. Firmitas machinæ hujus tanta sæpiùs fuit, ut ictum saxorum etiam maximorum de muro præcipitatorum sustinere potuerit. Remedia contra hanc machinam communiora plerumque erant maxima *saxa*, vectibus præmota & de muro in illam devoluta. Vt & *incensæ cupæ tædâ ac pice refertæ* deque muro in musculum devolutæ. Cæsar. c. l.

Musculi muralis descriptio.

Ejus firmitas.

§. XIII.

De Scalis, Sambuca, Exostra, & Tollenone.

HOstibus è muris submotis, occupare intendebant civitatem scalis appositis, quæ, sicut & cæteræ machinæ proportionatæ debebant esse, ad murorum altitudinem, quos plerumque exsuperare debebant. Mensura autem colligebatur duplici modo: aut enim linum tenue expeditum uno capite nectebatur in sagitta, quæ cùm ad muri fastigia directa pervenerit, ex mensura lini, murorum altitudo deprehendebatur: aut certè, cùm sol obliquus umbram turrium murorum jaculabatur in terram, tum ignorantibus adversariis, umbræ illius spacium mensurabatur. Itemque decempeda figebatur, & umbra ipsius similiter mensurabatur. Quo collecto numero, ex umbrâ decempedæ facilè inveniebant altitudinem Civitatis, Veget. l. 4. c. 29. Vtebantur præterea *Sambucâ, Exostrâ, & Tollenone.* Veg. c. l. *Sambuca* dicta est à similitudine Cytharæ. Nam quemadmodum in Cythara chordæ sunt, ita in trabe, quæ juxta turrim ponebatur, funes erant, qui pontem de superiore parte trochleis laxabant, ut descendere ad murum, statimque de turri exire bellatores & per eum transeuntes, mœnia urbis invadere possent. Festus vocabulo hoc designari putat *organi genus, à*

Scalæ.

Mensura scalarum.

Sambuca.

quo, inquit, *Sambucistræ dicuntur. Machina quoque, quâ urbs expugnatur, similiter vocatur. Nam ut in organo chordæ, sic in machina intenduntur funes.* Vsus quoque hujus machinæ fuit in *navibus*, cujus structuram juvat Polybii verbis, quæ lib. 8. exstant, benevolo proponere Lectori. *Octo*, inquit, *quinqueremes habebat, quibus remigii series inerat, tam à dextris, quàm sinistris; atque illas inter se, cum duobus levibus parietibus conjunctis ad murum per remigationem, quæ erat extra parietes, adduxerunt: & has vocant Sambucas. Genus autem structuræ dictorum instrumentorum tale est: Scalam parârunt latitudine quatuor pedum, sic ut dum ex navi descenditur, muro adæquatur. Hujus utrumque latus cancellis muniverunt, & desuper tegulis defensoriis armârunt, & obliquam parietibus imposuerunt, quibus conjunctæ naves constringebantur, sic ut plurimùm embolis præeminerent: Deinde & ad malos navium rotulæ erant, desuper cum funibus desilientes. Ubi necessitas ingruebat, funibus in vertice religatis per rotulas in puppi stantes trahunt. Et alii consimiliter in prora structuram ejus machinamenti repagulis firmant, ac deinde per remigationem, quæ ab utraque illa externi remigii serie fiebat, telluri navibus appropinquantes, dictum instrumentum muro applicant. In summitate autem scalæ tignum est, quod scutis Persicis trinam superficiem communiit, quò quatuor milites adscendentes, adversùm eos decertant, qui inde à propugnaculis applicationem Sambucæ impedire conantur. Ubi applicatâ scalâ murum occupaverint, ipsi scutorum latera utrinque solventes, propugnacula vel turres conscendunt, reliqui per Sambucam istos cautè sequuntur, scalâ per malos in utramque partem demissâ. Structura autem ista non immeritò hanc appellationem sortita; quando enim perficitur, & erigitur, redditur figura navis hujus, & scala in unum redacta, Sambucæ conformis.* Hæc Polybius.

Ejus structura.

Exostra. *Exostra* dicebatur pons, de duabus trabibus factus, septusque de vimine, in testudine seu turri ambulatoria arietaria collocatus, quem subitò, adminiculo trochlearum, protrusum inter turrim murumque constituebant. Per eum egredientes de machina bellatores in civitatem transibant, occupabantque muros. Cæterùm Exostra quoque fuit *machina lignea, quâ, quæ intùs gerebantur, versatione rotarum spectatoribus exhibebantur.* De quo Turnebus in adversar. l. 20. c. 9.

Tollenon. *Tollenon* erat machina, quâ trabs una in terram præaltè defigebatur, cui in summo vertice alia transversa trabs longior, dimensâ medietate connectebatur, eo libramento, ut si unum caput depressum fuerit, aliud erigeretur. In uno ergò capite cratibus sive tabulatis contexebatur machina, in qua armati quidam collocabantur. Tunc per funes attracto uno depressoque alio, capite elevati milites ponebantur in murum. Variè scribitur hoc vocabulum: In veteri Glossario dicitur: *Tolleno.* Isidorus vocat: *telonem.* Crinitus: *Tellenon.* Hoc notandum venit ex Isidoro, quod hæc machina quoque dicta sit *Ciconia*, ad similitudinem avis rostro clangentis.

Ciconia.

§. XIV.

§. XIV.
De Cuniculis, per quos aut murus defossus, aut Civitas penetrata.

FUit & Oppugnationis genus per Cuniculos, quod Sarmatæ nostri *Mine*, Teutones *Miniren* vocant, ubi magno labore terra defoditur, cavatoque specu in exitium expugnandæ civitatis subterranea secretò quæritur via. Ita sæpiùs obsidentes urbem penetrabant, & noctu non sentientibus oppidanis egressi per cuniculum, reseratisque portis agmina inducebant, hostesque in propriâ domo ignorantes trucidabant. Sæpiùs beneficio cuniculorum ad fundamenta murorum penetrantes suffodiebant eorum maximam partem, & appositis siccioribus lignis, ruinam subfossi muri tumultuario opere suspendebant, sarmenta insuper jungendo aliaque fomenta flammarum, quibus unà cum columnis ligneis, quibus murus innitebatur suffossus, incensis ac combustis, murò subitò corruente, aditus reserabatur. Laudant Authores, inprimis Vegetius l. 4. ut & Cælius lib. 21. c. 14. *Bessos*, gentem Gotho-Sarmaticam, (quorum reliquias nostra in Ukraina & Bessarabia Sarmatia fovet,) quod scil. in his rebus maximè fuerint industrii. Cæterùm laudat Cæsar, *Gallos* lib. 3. de bello Gallico, quod cuniculorum agendorum peritissimi fuerint, maximè *Aquitani*, propterea quod multis ibidem locis ærariæ sectūræ sint. Nomen hoc genus operis invenit à *Cavernis* seu *Cuniculis* leporum. Hinc etiam illi, qui hæc opera faciebant, *Cunicularii* dicti sunt. Tutissimum, licet laboriosissimum ac tœdiosissimum, hoc genus oppugnationis habitum, quippe quod sine ullo periculo ac sine suspicione hostium facere liceat. Hirtius lib. 8. de bello Gallico. Quare cùm Alexander M. Gazam obsideret, potiri eâ antè non potuit, quàm ubi ultima pestis, cuniculus accessit, quo & subrutus murus & per ejus ruinas hostis intravit, Curt. lib. 4. Sic expugnati *Veji*. Livius l. 5. sic quoque captæ *Fidenæ*.

Cuniculus.

Bessi Cunicularii.

Galli quoq.

Expugnatæ civitates cuniculis.

Hìc notanda veniunt. 1. *Cuniculos* olim tam *amplos* fodisse obsidentes, ut in iis pugnæ committerentur subterraneæ. Hoc factum *Themisigræ*, cùm à Lucullo oppugnabatur. Liv. lib. 7. 2. Cuniculos *fulturis* suspensos fuisse. 3. Additum quoque dolo dolum fuisse, scil. eo tempore, quo emersuri fuissent cunicularii, civitatis muros invasisse milites, ut dum propulsaturi pericula invadentium defensores ultrò citroque discurrunt, opprimerentur nec opinantes, cujus exemplum refert Ammian. lib. 24. Varia tamen contra cuniculos opponebant veteres *Remedia*. Volebant cuniculos supernè *aperire*, & per foramina immittere in operarios *ursas*, aliasque *bestias* & *apum* examina, ut videre est apud Appianum de bello Mithridatico. Cæsar refert de Gallis lib. 7. quod apertos cuniculos *præusta & præacuta materia & pice fervefactâ, maximi ponderis saxis* morati sint, mœnibusque appropinquare prohibuerint.

Cuniculi ampli.

Cuniculi fulturis suspensi.

Remedia cōtra cuniculos.

Cæterùm *cuniculos*, qui ab adversario fodiuntur, *reperire*, magni olim res momenti fuit, quod neque locus, neque tempus, quo emer-

Trypho Magister in cuniculis inveniendis.

ſuri ſint hoſtes, ſciri facilè poſſit. In hoc ducis maximè probabatur peritia ac ingenium, in quo videtur mihi excelluiſſe *Trypho* Alexandrinus, de quo hæc habet Vitruvius lib. cit. Hic dum *Apollonia* obſideretur, intra murum plures ſpecus deſignavit, & fodiendo terram progrediebatur extra murum, duntaxat citrà ſagittæ emiſſionem, & in omnibus vaſa ænea ſuſpendit. Ex his in una foſſura, quæ contra hoſtium ſpecus fuerat, vaſa pendentia ad plagas ferramentorum ſonare cæperunt. Ita ex eo intellectum eſt, quâ regione adverſarii ſpecus agentes, intrà penetrare cogitabant. Sic limitatione cognitâ, temperavit ahena aquæ ferventis deſupernè contra capita hoſtium, & ſtercoris humani & arenæ coctæ candentis. Dein noctu pertudit crebra foramina, & per ea repentè perfundendo, qui in eo opere fuerunt, hoſtes omnes necavit.

Neque contemnenda eſt inventio alicujus *fabri* ærarii, qui cùm Perſæ *Baream* obſiderent, *Clypeum æreum* intra muros circumferens, & pavimento admovens, tandem ex ſono edito, locum, qui ſuffodiebatur, comprehendit. Hæc Herodotus in Melpom. Non multùm abludit hæc inventio ab invento, quod noſtro ſeculo uſurpant milites. Scilicet *pelves* aut *tympana militaria* ponunt erecta, iiſque *piſa* aut *aleas* imponunt, quæ exultant ad ictus ſubterraneos.

§. XV.
De Baliſtis.

Baliſtæ & Onagri.

DEfenſores urbium multas itidem habuerunt machinas, quarum præcipuæ fuerunt *Baliſtæ & Onagri.* De his notanda veniunt verba Vegetii l. 4. c. 29. *Baliſtæ & Onagri, ſi à peritis diligentiſſimè temperentur, univerſa præcidunt, à quibus nec virtus ulla, nec munimina poſſunt defendere bellatores: nam more fulminis, quicquid percuſſerint, aut diſſolvere, aut inrumpere conſueverunt.* Baliſtæ autem variæ ac diverſæ fuerunt, licet ad unum effectum comparatæ. Variabat earum *ſtructura.* Aliæ enim *vectibus* & *ſuculis:* nonnullæ *polyſpaſtis*, aliæ *ergatis*, quædam etiam *tympanorum* rationibus torquebant. De quo legendus eſt Vitruvius l. 10. c. 16. Variabant *effectu:* inde legimus baliſtas quaſdam vocatas fuiſſe *centenarias*, quæ ſaxum centum pondo: alias *talentarias* quæ talenti pondo jaciebant. Adeoque variæ ſunt hujus machinæ apud Authores deſcriptiones. Ammianus, qui bellis Gothorum interfuit, his baliſtam deſcribit verbis: (lib. 23.) *Ferrum inter axiculos duos firmum compaginatur & vaſtum, in modum tegulæ majoris extentum: cujus ex volumine tereti, quod in medio ars polita componit, quadratus eminet ſtylus extenſiùs, rectô canalis anguſti meatu cavatus, & hac multiplici chordâ nervorum tortilium illigatus, eique cochleæ duæ ligneæ conjunguntur aptiſſimè, quarum propè unam adſiſtit artifex contemplabilis, & ſubtiliter adponit in temonis cavamine ſagittam ligneam ſpiculo majore conglutinatam: hocque facto, hinc inde validi juvenes verſant agiliter rotabilem flexum, cùm ad extremitatem nervorum acumen venerit ſummum, per-*

Baliſtæ variæ.

cita interno pulsu à balista ex oculis avolat, interdum nimio ardore scintillans: & evenit sæpiùs, ut antequam telum cernatur, dolor letale vulnus agnoscat. In Notitia Romani Imperii mentio fit *Balistæ*, quæ *fulminaris* est appellata. De quâ Auctor ita ait: *Hujusmodi Balistæ genus naturali defensioni necessarium, supra cæteras impetu & viribus prævalere usu compertum est. Arcu enim ferreo supra canalem, quo sagitta exprimitur erecto validus nervi funis ferreo unco tractus, eandem sagittam magnis viribus in hostem dimissus impellit. Hunc tamen funem, non manibus neque viribus militum trahi fabricæ ipsius magnitudo permittit, sed retrò duabus rotis viri singuli, radiorum nisibus adnitentes, funem retrorsum tendunt, pro difficultate rei viribus machinis adquisitis. Balistam tamen ipsam ad dirigenda seu altiùs seu humiliùs tela, cochleæ machina prout vocet utilitas, nunc erigit, nunc deponit. Hoc tamen miræ virtutis argumentum, tot rerum diversitate connexum, unius tantùm otiosi, ut ita dicam hominis, ad offerendam tantummodò impulsioni sagittam, opera gubernat. Videlicet, ne si hominum turba hujus ministerio inserviret, minueretur artis inventio. Ex hac igitur Balistâ tot & tantis ingenii artibus communitâ expressum telum, in tantum longiùs vadit, ut etiam Danubii famosi præ magnitudine fluminis latitudinem valeat penetrare. Fulminationis etiam nuncupata, appellatione suâ virium testatur effectum.*

Balista fulminaris.

Circa hanc machinam hoc imprimis observat Vitruvius c. l. c. 16. quod scil. nulla balista perfecta fuerit, nisi ad propositam magnitudinem ponderis saxi, quod id organum mittere debuit. Igitur de ratione eorum non omnibus fuit expeditum, nisi qui arithmeticis rationibus numeros & multiplicationes habuit notas. Namque fiebant in capitibus foramina, per quorum spacia contendebantur capillo maximè muliebri vel nervo funes, qui magnitudine ponderis lapidis, quem debuit ea balista mittere, ex ratione gravitatis proportione struebantur. Quemadmodum de Catapultis, de longitudine sagittarum. Scilicet omnis instructio & à fine & ab effectu ordinari debet; & quia, ut apprimè ad rem nostram loquitur Stewechius ad Vegetii lib. 4. in magnis oneribus movendis ipsa rerum natura nobis adversa est, opus est magno artificio, ut vires hominum exsuperare, ipsamque naturam vincere queas. In quo aut machinis aut organis opus, & variis inibi adjumentis partibusque, ut longiùs pondera emittantur, ictus majores fiant: quæ fieri non possunt absque claviculis, trochleis, vectibus, suculis, nervis, & aliis hujusmodi, quibus vel innitantur, vel à quibus expellantur. Hinc rationes & proportiones quæruntur, ut omnia respondeant, pondus, magnitudo & vis quæ movet, ideò ab ipsa ponderis naturâ & magnitudine proportio sumitur omnium partium instrumenti. Et quemadmodum hodie à pilæ seu globi pondere tormenta bellica, (bombardas vulgus vocat) conficiuntur, & contra: similiter & Veteres in machinis suis, quæ tela vel sagittas emittebant, à longitudine sagittarum machinæ mensuram sumere debebant; In iis, quæ lapides, saxa, aliave corpora jaciebant, à pondere ejus, quod jaciendum erat. Quippe

Balistarum directio.

necesse erat, rationis comparationem quandam esse inter rem motam & vim moventem. Longiùs enim ferri nequeunt contorquendo, quæ nimis parva sunt, aut magnitudinis modum excedunt, vel quæ nimis levia aut gravia sunt, quàm par est: Juxta Aristotelem in Mechanicis quæstione 24. Hinc non abs re de hac machina ita sentit Vegetius c. l. *Balista*, inquit, *funibus, nervis (chordisque) tenditur, quæ quantò prolixiora brachiola habuerit, hoc est, quantò major fuerit, tantò spicula longiùs emittit: quæ si juxta artem mechanicam temperetur & ab exercitatis hominibus, qui mensuram ejus ante collegerint, dirigatur, penetrat, quodcunque percusserit.* Hæc ratio in balistis habita fuerit: alia tamen, si brachia hujus machinæ consideremus, fuit in Catapultis.

Brachia balistarum & catapultarum differunt.

Nam istic brevitas brachiorum missiones jaculationesque effecit vehementiores, econtra ictui mollitiem & remissionem longitudo multa. Ita docet Vitruvius lib. 10, c. 15. *Brachii*, inquit, *brevitas plagam facit vehementiorem, brachia longiora faciliùs ducuntur. Nam quemadmodum vectis, cùm est longitudine pedum quatuor, quod onus quinque hominibus extollitur, is si est pedum octo, à duobus elevatur: eodem modo brachia, quò longiora, sunt molliùs, quo leviora sunt, duriùs ducuntur.*

Balista tractoria.

Sebastianus Munster meminit alicujus balistæ, quam *tractoriam* & *Catapultam* vocat, quâ non mœnia, sed domos & alia ædificia intra mœnia constituta quassare solebant. Fuit, ut videtur, machina oppugnatoria: Ejus enim fabricam mœnibus milites admoventes, gravissima per hypotenusam saxa, aut foetida bestiarum cadavera in altum projiciebant, quæ consummato cursu in hypotenusæ tramite, magno impetu, è sublimi per cathetum seu præcipitium, in subjecta cadebant loca, impetuque vel foetore infestabant obsessos. Eâ machinâ ad deditionem coactos, qui munitissimam arcem in medio Rheni collocatam, juxta oppidum Reinfeldense tenuerunt. Dicit idem Munsterus citante Stewechio ad lib. 4. Veget. Inde apparet, quod catapultarum machinæ cum machinis balistarum unius generis fuerint; nam quæ de effectu balistæ refert Vegetius (quamvis in structura variârint, eadem de catapultâ refert Vitruvius c. l.

§. XVI.

De Onagris, Scorpionibus & aliis machinis defensivis.

Onagri.

Similis Balistæ fuit machina *Onagri.* Illa enim, ut ait Vegetius c. l. dirigebat lapides, sed pro nervorum crassitudine & magnitudine saxorum pondera jaculabantur. Nam quantò amplior fuerit, tantò majora saxa fulminabat. His duobus generibus, dicit idem Vegetius, nullam tum temporis tormentorum speciem inveniri vehementiorem. Hanc machinam eandem facit Ammianus c. l. cum Scorpione.

Scorpio idem qui Onager, ejus structura & impetus.

Ejus autem descriptionem sic nobis ille proponit: *Scorpionis* ait, *quem appellant nunc Onagrum, hujusmodi forma est: Dolantur axes duo quernei vel ilicei, curvanturque mediocriter, ut prominere videantur in gibbas, hique in modum servatoriæ machinæ connectuntur, ex utroque latere patentiùs perforati: quos inter, per cavernas, funes col-*

ligantur

ligantur robusti, compagem (ne dissiliat) continentes. Ab hac medietate restium ligneus stilus exurgens obliquus, in modum jugalis temonis erectus, ita nervorum modulis implicatur, ut altiùs tolli possit & inclinari: Summitatique ejus unci ferrei copulantur, è quibus pendet stupea vel ferrea funda, cui ligno fulcimentum prosternitur rigens cilicium paleis consertum minutis, validis nexibus illigatum, & locatum super congestos cespites, vel lateritios aggeres. Nam muro saxeo hujusmodi moles imposita disjectat, quicquid invenerit super concussione violenta, non pondere. Cùm igitur ad concertationem ventum fuerit, lapide rotundo fundo imposito, quaterni altrinsecùs juvenes repagula (quibus incorporati sunt funes) explicantes retrorsum stilum penè uncinum inclinant. Itaque demùm sublimis adstans Magister, claustrum, quod totius operis continet vincula, reserat, malleo forti percussum. Unde absolutus ictu volucri stilus, & mollitudine offensus cilicii, saxum contorquetur, quicquid incurrerit, collisurum. Et tormentum appellatur, quod ex eo omnis explicatio torquetur; Scorpio autem, quoniam aculeum desuper habet erectum; cui etiam Onagri vocabulum indidit ætas novella, ea re, quod asini feri, cum venatibus aguntur, ita eminùs lapides, post terga calcitrando emittunt, ut perforent pectora sequentium, aut pertractis ossibus capita ipsa displodant. Hæc Ammianus. Idem lib. 19. *de Scorpionibus*, ait: *quod per hujus machinæ ferreas fundas è propugnaculis subinde rotundi lapides acti dissolutis turrium congruentiis, balistas, earumque tortores fudêre præcipites.* Idem refert lib. 24. Casum quendam de architecto quodam ictu lapidis è Scorpione vibrati disjecto. Scilicet: post machinam Scorpionis architectus fortè adsistens, reverberato lapide, quem artifex titubanter aptaverat fundæ, obliso pectore sauciatus perfudit animam, disjecta compage membrorum, adèo ut ne signa quidem totius corporis noscerentur.

Vegetius Scorpionem ab Onagris distinguit.

Vegetius c. l. Scorpionem ab Onagro distinguit. Scorpiones ipsi manubalistæ sunt, sic nuncupati, quod parvis subtilibus spiculis inferant mortem. Onager autem dirigit lapides, sed pro nervorum crassitudine & magnitudine saxorum pondera jaculatur. Nam quantò amplior fuerit, tantò majora saxa fulminis more contorquet.

Auctorum dissensus in describendis his machinis.

Notamus hic 1. Auctorum multum in describendis his machinis dissensum. Vitruvius lib. 10, c. 16. & seq. prodit, catapultis & Scorpionibus sagittas emitti solere; balistis verò lapides. Contra Vegetius balistis spicula emitti ait. Cæsar lib. 1. de bello civili, catapultis saxa ejecta testatur. Rursùm alii, ut Cicero 2. Tuscul. Et Sisenna apud Nonium, balistis silices tribuunt. Ammianus èontra Scorpionibus saxa, balistis tela ejecta dicit. Vegetius verò l. 2. cap. ult. Onagris sagittas ac saxa ejaculata refert.

Confunduntur tela cum machinis.

Notamus 2. Nomina harum machinarum sæpiùs cum telis ex machina emissis apud Auctores confundi. Siquidem Scorpio interdùm sumitur pro machina, & pro telo machinâ emisso. Testatur id Tertullianus, qui Scorpionem & machinam & spiculum vocat. *Bellicam*, inquit, *machinam, & retractu tela vegetantem de Scorpio nominant. Id spiculum & fistula est, paullâ tenuitate in vulnus & virus, qua figit,*

git, *effundit*. Ita & Isidorus lib. 18. Scorpionem non pro tormento, sed pro telo accipit. *Scorpio*, inquit, *est sagitta venenata, arcu vel tormentis excussa, quæ dum ad hominem venerit, virus quem figit, infundit, unde & Scorpio nomen accepit.* Atteſtatur Turnebus, lib. 15. Adverſ. c. 1. etiam *catapultam* interim tormentum, interim telum, quod eâ machinâ emittitur, designare. Cæterùm telum ex catapulta missum, vocatum quoque est *trifax*, eò quod fuit cubitorum trium. Eò alludit Ennius:

Aut permaceret paries percussa trifaci.

Pennata spicula. Notamus 3. Ex his machinis etiam *Pennata* olim *spicula* emissa fuisse. De quo Plinius lib. 34. c. 14. appositè: *Utimur*, ait, *& ferro, ad bella, cædes, latrocinia; non cominùs solùm, sed & missili, volucrique nunc tormentis excusso, nunc lacertis, nunc verò pennato, quam sceleratissimam humani ingenii fraudem arbitror. Siquidem ut ocyùs mors perveniret ad hominem, alitem illum fecimus, pennasque ferro dedimus.* Certè plùs indoluisset Vir hic magnus, si bellicas hujus seculi vidisset machinas ignivomas, audisset tonitruales.

Notamus hic denique 4. cum Vitruvio c.l. cap. 1. Ex his machinis alias fuisse, quæ Mechanicῶs; alias quæ Organicῶs movebantur. Inter machinas & organa id videtur esse discrimen, quod machinæ pluribus operibus, aut in majore cogantur effectus habere; uti balistæ torculariumque præla: Organa autem unius opere prudenti tacta perficiunt, quod propositum est; uti Scorpionis seu aniso-cyclorum versationes.

§. XVII.

De telis è machinâ missilibus, præcipuè de plumbatis.

Machinamenta varia. HÆc fuerunt machinamenta militum in oppugnationibus urbium defensiva majora & præcipua; cætera fuerunt minora tormenta, quæ tamen obsidentes itidem satis infestabant. Ea fuerunt ex alto destinata missilia, sive *plumbatæ*, sive *lanceæ*, *Veruta* vel *spicula* in subjectos vehementiùs cadentia. *Sagittæ* quoque arcubus missæ, & *Saxa* manibus, fundis sive fustibalis directa, quantò de excelsiori loco exierunt, tantò longiùs penetrabant. Veget. l. 4. c. 29.

Plumbatæ. Monemus hìc cum Stewechio ad h.l. nomine *plumbatarum* non denotari glandes plumbeas, quas olim *Martio-barbuli*, qui aliis *Mattiobarbuli*, nonnullis abjecta voce Martio solùm, *barbuli* audiunt, gerebant, quibus olim animadvertebatur in sontes, sed jacula quædam missilia, differentia tamen à *clavis plumbatis*, de quibus c. 3. §. 3. de Missilibus. p. hujus libri egimus. Citatus Stewechius ex Anonymo quodam Auctore, qui de rebus bellicis scripsit, bifarias nobis proponit plumbatas, quarum alteram vocat *tribolatam*, alteram *mamillatam*.

Tribolatæ. Expositionem autem Tribolatæ ex Auctore citato ille talem refert: *Hoc*, inquit, *jaculi genus, quod in modum sagittæ pennis videtur instructum, non arcus nec balistæ pulsu consvevit emitti, sed manûs impetu & viribus elisum in hostem cominùs vadit, quod excipienti gemina ratione vide-*

videtur afferre perniciem. Aut enim perimit infixum, aut sine vulnere dilapsum, & in terram positum plantis calcantis infigitur, eo quod in partem quamlibet, si fuerit conversum, ex latere, aculeo ex se eminente inferat vulnus. Fit autem ex ligno in modum sagittæ facto, cui ferrum subtiliter in formam venabuli aptatum infigitur, fistulâ ejusdem ferri parumper extensâ, supra quam modicô interjectâ spaciô, plumbo adhærentes jaculi vel tribuli emergunt. In summâ autem parte ejusdem jaculi affiguntur pennæ, celeritatis causâ, tantô videlicet super easdem pennas relictô spaciô, quantum digiti potuerint tenentis amplecti. Plumbatæ Mamillatæ expositio apud citatum talis est: *Benè extensa & directa virga, accipiet in extremitate sui rotundum & in acumen deductum ferrum, similibus locis in tribulatâ plumbo, & pennis adhærentibus, ut plumbi pondere, & pennarum celeritate adjuta rotunditas teli, facilè clypeos adversarii, & similiter obstantia valeat penetrare.* *Mamillatæ.*

§. XVIII.

De Fundis & earum usu, deque aliis belli necessariis.

FUnda funiculus est ex lino vel seta factus, qui duobus capitibus manu capitur, alterô cum ansulâ, ne exeat; altero sine, ut dimitti possit: In medio verò latior est, ut ibi lapis contineatur. Hunc, circumactô validè funiculô, & ab uno capite dimisso, vehementer projiciebant, (fundebant) funditores. Hujus rei inventio adscribitur *Phœnicibus* à Plinio l. 7. cap. 56. *Balearibus* autem à Floro l. 3. c. 8. Veget. l.1. c.16. Virgilio lib. 1. Georg. Hoc tamen extra controversiam est. Baleares fundâ plurimùm valuisse, eosque *tribus fundis* ad prælium exiisse. Plin. l. 3. c. 5. Florus c. 1. illorumque pueros à matre cibum non accepisse, nisi quem, ipsâ monstrante, ex funda percussissent. Pro illustranda hac re & confirmanda, adduco Diodori Siculi l. 6. testimonium; Ita ille: *Arma*, inquit, *eis* (Balearibus) *sunt fundæ tres: Unâ caput cingunt, alterâ ventrem: Tertiâ in manibus gestatur. In prælio lapides multò majores, quàm reliqui jactant robustè, ut aliquo tormento lapis missus videatur. In Urbium expugnatione, lapidum jactu eos, qui desuper ex propugnaculis tuentur mœnia, vulnerant. In pugnâ vero scuta, galeas, omneque armorum genus confrigunt. Ita autem rectè lapides propellunt, ut rarò effugiat ictum appetitus locus. Quod eis continuò à pueritiâ usus præbet, à matribus ad id certamen coactis. Imponunt enim supra erectum lignum panem, signum quod jactu petant, neque ante cibum capiunt, quàm panem lapide ejectum, pro cibo sumant, permissu matris.* Hæc ille lib. 6. *De fundis.*

Sed & Gothos nostros fundâ bellicosos fuisse, nemini ignotum esse potest, cùm illius fuerit tot gentibus communissimum exercitium & adhuc dum in nostræ Sarmatiæ locis plurimis funditores inter pueros reperiantur non contemnendi.

Cæterùm moris fuit legionibus militaribus, universa quæ in quoque belli genere necessaria esse credebantur, secum ubique habere, ut in quovis loco fixerint castra, armatam facerent civitatem. Quod præ omni- De belli necessariis variis.

omnibus aliis populis facilè Gothis fuit propter copiosam satis carraginem, seu carrorum multitudinem & bellicorum curruum & plaustrorum, in qua procul dubio multa & varia belli necessaria imponere & secum vehere poterant. Longè tamen alia ratio fuit Romanis, qui multa portare ipsimet necesse habebant. De quo Vegetius lib. 2. c. ultimo, cujus verba juvat referre: Ita ille: *Legio autem non tantùm militum numero, sed etiam genere ferramentorum vincere consvevit. Primùm omnium instruitur jaculis, quæ nullæ loricæ, nulla possunt scuta sufferre. Nam per singulas centurias, singulas carrobalistas habere consvevit, quibus muli ad trahendum, & singula* Contubernia *ad armandum vel dirigendum, hoc est undecim homines deputantur. Nam hæ quantò majores fuerint, tantò longiùs (ac fortiùs) tela jaculantur. Non solùm castra defendunt, verùm etiam in campo post aciem gravis armaturæ ponuntur. Ad quarum impetum, nec equites loricati, nec pedites scutati possunt obstare. In una autem legione quinquaginta quinque carrobalistæ esse solent. Item decem Onagri, hoc est, singuli per singulas cohortes in carpentis bobus (duobus) portantur armatis: Ut si fortè hostes ad oppugnandum venerint vallum, sagittis & saxis possint castra defendi. Scaphas quoque de singulis trabibus excavatas, cum longissimis funibus, & interdum etiam ferreis catenis, secum legio portat: Quatenus contextis eisdem, (sicut dicunt) monoxylis, supertectis etiam tabulatis, flumina, quæ sine pontibus vadari nequeunt, tam à peditibus, quàm equitatu sine periculo transeantur. Habet ferreos harpagones, quos lupos vocant, & falces ferreas confixas longissimis contis. Item ad fossarum opera facienda, bidentes, ligones, palos, rastra, alveos, cophinos, quibus portetur terra. Habet quoque dolabras, secures, ascias, serras, quibus materia ac pali dedolantur atque serrantur. Habet prætereà artifices cum omnibus ferramentis, qui ad oppugnandas hostium civitates, testudines, musculos, arietes, vineas, ut appellant, turres ambulatorias faciant.* H. I.

Loricæ variæ.

Cùm hic loricarum ac loricatorum equitum fiat mentio, curioso gratificaturi Lectori, notamus, varias varii generis antiquitati fuisse in usu Loricas. Fuerunt *lineæ*, & *cortaceæ*, & *æneæ*, & *ferreæ*. *Lineis* olim *Græcorum heroes* indutos fuisse loricis referunt Auctores Græci, inprimis Homerus Iliade B. Herodotus in Polyhymnia. Et Diodorus Siculus lib. 13. qui de *Iphierate* narrat, quòd militibus Atheniensibus, pro ænea linteam dederit loricam. Ita & *Alexander Magnus* se sæpissimè induit loricâ lineâ, quod Plutarchus in vita ejus refert. Tali lorica amicivisse se *Hispanos* testatur Livius lib. 31. Idem etiam de *Samnitis* refert, quod totam *legionem linteatam* habuerint. Verba Auctoris sunt hæc: *Forma erat scuti: summum latus, quâ pectus atque humeri teguntur, fastigio æquali, ad imum cuneatior, mobilitatis causâ: Spongia pectori tegumentum, & sinistrum crus ocrea tectum. Galeæ cristatæ, quæ speciem magnitudini corporum adderent, tunicæ auratis militibus versicolores; argentatis linteæ candidæ.* Hos secutus est *Galba* Imperator, qui ipse inducit *Loricam linteam* Sveton. in Galba. *Caracalla* Imp. certum militum genus instituit, quos *Alexandrinos* voca-

vocavit. Hi *thorace ex triplici lino* induti fuerunt. Teſte Dione in Caracalla.

Loricas aliàs de loro dictas fuiſſe, id eſt, de corio crudo, (ex quo factæ fuerunt,) docet Varro, poſtea *Gallos* è ferro, ſeu *annulis ferreis* ſuccidiſſe. Vid. c. 1. §. 5. p. 6. 7.

Cæterùm Vocabulum *Loricæ* in re militari aliam etiam admittit ſignificationem. Denotat etiam *foſſam*, quam obſidentes circùm urbem faciunt, eamque vallo, *ſudibus* & *Turriculis* inſtruunt, ut erumpentibus ex civitate poſſint obſiſtere. Hinc ſæpè, cùm apud Auctores obſidio deſcribitur, invenitur in hiſtoriis *Loricâ*, vel *Loriculâ*, *urbem fuiſſe circumdatam*. Ita Ammianus lib. 31. *Terras*, inquit, *perſtringens, muros altiùs erigebat: hac loricâ, diligentia celeri conſummatâ, in tuto locandam ſecuritatem ſuam exiſtimans.* Similiter J. Cæſar l. 7. de Bello Gall. *Poſt eas aggerem & vallum XII. pedum exſtruxit, huic loricam pennasque adjecit.* Iterùm lib. 5. *Turres contabulantur, pennæ loricæque ex cratibus attexuntur*, Hirtius 8. bell. Gall. *Turres*, ait, *crebras excitari in altitudinem trium tabulatorum, pontibus transjectis conſtratisque conjungi: quorum frontes viminea loriculâ munirentur.* Tacitus 4to Annal. *Obſidium cæpit per præſidia, quæ opportunè jam muniebat, dein foſſam loricamque contexens, quatuor millia paſſuum ambitu complexus eſt.* Denique Florus lib. 3. c. 10. *Caſtellis*, inquit, *ingenti quaſi lorica circumdatam primùm fame domuit.* *Lucretius* verò vocabulum hoc ad *cœli ambitum* tranſtulit, omnia ſuo amplexu concludentem:

Lorica obſidionalis.

Denique quà circùm cœli lorica coercet.

§. XIX.
De Machinis & Mediis ad flumina trajicienda.

Nulla ratio, præſertim cui Martius inerat animus tam iners unquam fuit, cui non ingenium & media ſuppetebant, flumina etiam maxima trajiciendi. Ita nec Gothis noſtris, cùm bellicoſiſſima ſemper gens ſine omni controverſia habita ſit, grave fuit, media invenire, rapidiſſimos quosque tranſire fluvios. Teſtantur id illarum migrationes bellicæ in Italiam, Gallicam, Hiſpanias, Pannonias Thracias, quæ nullo flumine impediri poterant. Prout autem flumina pro alveorum latitudine vel profunditate ab aliis differebant, ita & trajectus alio atq; alio expediebatur modo.

Varii modi flumina trajiciendi.

Communiter, explorato vado duas, intervallis competentibus ſeparârunt acies equitum, electis animantibus ordinatorum, per quarum medium pedites & impedimenta tranſirent, acie ſuperiori, impetum fluminis frangente; inferiore raptos ſubverſosque colligente. 1.

Quod ſi fluctus altus nimis neque equitem pateretur, nec peditem, ductis multifariam per planas foſſis ripas fluvius dividebatur, tranſitusque parabatur. 2.

Nonnunquam ſtilis fixis ac refixis & ſuperpoſitis tabulis fluvios faciebant pervios: aut trabibus acquiſitis pontem exſtruxerunt. 3.

In horum defectu alia & varia habuerunt media tranſeundi flumina etiam maxima. Inprimis 4.

 ſcapu-

Scaphulas secum vexerunt, ex singulis trabibus excavatas, quas clavis ferreis vel ligneis & tabulatis conjungebant, pontemque inde sibi parabant. Scaphæ autem seu naves hæ Gothorum, erant pandæ & leves. Teste Sidonio Epist. 6. Nonnullarum materia erant *vitilia corio circumsuta*. Plin. lib. 14. c. 16. Harum scapharum ingentem secum numerum in Carragine habuerunt Gothi, quod testantur Romani Scriptores. In Pannoniis sub Claudio Rom. Imperat. habuerunt ultra duo millia scapharum: Delevimus, inquit, Claudius Imper. in literis ad Brochum CCCXX. millia Gothorum; Duo millia navium mersimus. &c. Pollio in Claudio.

5. In defectu Scapharum utebantur *Scutis* suis in modum alveorum

6. suppositis. Ammian. lib. 16. Utebantur & *fascibus ex cannis aridis vel ulvâ*. Amm. lib. 25. Iis equites arma super imponebant, ipsi natando

7. transibant. Præter remedia alia, quæ necessitas sæpè trajiciendis fluminibus suggessit, in magna præsertim lignorum ac navium penuria *Cuppas inanes* vinculis inter se constringebant, viminibus insuper injectis & pulvere multo saburratis. Eò alludit Lucanus lib. 4.

--- --- Nova furta per æquor
Exquisita fugæ: neque enim de more carinas
Extendunt, puppesq; levant; sed firma gerendis
Moribus in solito contexunt robora ductu.
Namque ratem vacuæ sustentant undiq; cuppæ;
Quarum porrectis series constricta catenis,
Ordinibus geminis obliquos excipit alnos.

8. Inprimis Gothis familiare fuit *transnatare* flumina. Teste Tacito lib. 4. histor. qui de Germanis (quo nomine Gothos nostros nuncupat,) refert, quod in natando adeò exercitati fuerint, ut *arma equosque retinentes, integris turmis Rhenum perrumperent.*

9. Cæterùm adhibuerunt *inflatos utres*, in quos, suppositis cratibus res suas, ne udarentur superimponebant. Ipsi quoque sæpiùs utribus innixi transnatabant.

Pons ex Utribus. Imò ex *Utribus solis pons* factus. Teste Anonymo illo Auctore, qui de bellicis rebus scripsit, & Notitiæ Imperii adjunctus est. Cujus merentur verba huc adscribi. *Ne interdum*, inquit, *necessario itineri exercitus, fluviorum, (quod plerumque evenit) occursus impediat, remedium ad hanc rem, & compendio facile, & usu præcipuum ingeniosa reperit necessitas, quod tali ratione componitur. Vitulinis pellibus Arabica arte mollitis: est enim apud eos præcipua confectionis cura, propter aquam de puteis follibus hauriendam: his igitur, ut dictum est, diligenter sutis, utres in magnitudinem trium semis pedum, ita ut cum iisdem utres spiritu inflati tumuerint, non extollant uterum, sed æqualitate quadam plenitudo ipsa utrium spacia plana perficiat. Ex quorum lateribus, loris subter annexis, invicem colligantur. Desuper autem una parte circulis extantibus, ex altera immittuntur uncini. Et ita in formam pontis adsociata partibus explicatur integri-*

tas. Sed hoc idem opus obliquo fluvio, propter impetum meatus, faciliùs usque ad alteram explicabitur ripam: quod fixis in utraque ripa ferreis palis, & funibus validis, in medio quidem sub ipsis utribus, propter incedentium sustinendum pondus, in marginibus autem firmitatis gratiâ desuper extensis, transeundi per fluvium novo quodam, & peregrino itineris apparatu, intra breve temporis spatium præbebit liberam facultatem. Admonendi præterea sumus, quòd supra utrium compaginationem cilicia sunt incedentium substernenda vestigiis, ne lubrica pellium confectio insistendi deneget firmitatem. In utraque tamen ripa erunt manubalistæ dispositæ, ne hostiles manus pontem operantibus impedimento consistat. H. I. Pons hic Auctori vocatur *Ascogefrus*. Mos hic, utribus ac fascibus junceis transire flumina in nostra Ukraina, apud Cosacos & Tartaros adhucdum viget. Modus autem trajiciendi borysthenem referente J. Pastorio Hist. Polon. l. 1. talis est: *Fascibus junceis vel arundineis singuli perticas illigant, imponuntque ephippium, vestes, arma. Ipsi nudi jubam equi apprehendunt, altera manu flagellum regunt. Sic juxta equum nantes trajiciunt. Fasces cum impedimentis sequuntur, quippe caudæ ejusdem equi reste alligati. Sed jam porrò fasces istos eâ firmitudine compingere didicerunt, ut non modò impedimentis, sed & uni alterive homini vehendis sufficiant.* Vector huic quasi ponticulo vel lintri junceo insistens, natantem ac fasces trahentem equum dirigit, quà opus. Cùm deinceps è terris Russicis redeunt, si quid inter prædas vel pretiosum vel imbecillum ducunt, tali modo ut plurimùm transvehunt. Quaterna jumenta justæ magnitudinis detruncant, carnemque omnem & ossa eâ solertiâ eximunt, ut cutis undequaque integra maneat, nisi quà jugulus abscectus. Cuti deinde aërem sufflant, ubi ea satis intumuit, quod in cervice patet, arctè constringunt vinculis, ne aër possit erumpere. Hos truncos, utrium instar, inflatos, in quadrum ligamentis perticisque, relicta in medio, qualis necessaria visa est, intercapedine connexerunt, & mox asseres, si adsunt, vel currus, rotis suis exutos, cumque his simul, quicquid in captivo agmine delicatius est, resque alias aquæ impatientes imponunt. Alii robustiores ad latera natant, rati tamen isti, quâ possunt, hærentes, ne flumine abripiantur. Prænant bini equi, ratemque eô, quô ante dictum, modô, laqueis caudæ innexis trahunt, ducente singulos Tartaro, equi jubam amplexo, aliisque etiam ex rate adgubernantibus. Ac in hunc modum captivos transvehunt Tartari &c. Hæc Pastorius, inclytus in Patria nostra Historicus.

Modus trajiciendi flumina apud Cosacos & Tartaros.

CAPUT IV.

De Milite Gothico,

ET Armis & Viris, adeoque & viribus valuêre Gothi. Teste Tacito lib. de Mor. German. Valor hic ex delectu cum judicio. Scilicet, vires olim & nunc omnis Reipublicæ, imò fundamentum in prima delectorum examinatione consistunt.

Delectus militum apud Gothos.

Quoniam autem *locorum asperitas, hominum quoque ingenia durat*, teste Curtio l. 7. 3. 6. *segnior* sit probabile est, *miles urbanus & verna, quàm qui ex confragoso venit.* Senec. epist. 51. Hinc facilè colliges, Gothos, cùm laborum fuerint patientissimi, animati, saltuosos locos incolentes, duritiei ac patientiæ magìs insveverint, felices potuisse emittere exercitus. Quippe ex agris colligebant milites, benè illud Catonis observantes: *Ex agricolis & viros fortissimos, & milites strenuissimos conquiri.* lib. 1. de re Rust. c. 1. utpote adsvetos, hyemem & æstatem juxta pati, humi requiescere, eodem tempore inopiam & laborem tolerare. (*a.*) *Talibus viris non labor insolitus, non locus ullus asper, aut arduus, non armatus hostis formidulosus;* (a) *minùsque mortem timent, qui minus deliciarum novit in vita.* (b) Econtra in primo defecit pulvere ille unctus & nitidus. Et sanè, qui exercitium laboremque declinant, cum maximo detrimento trucidantur ut pecudes. (c) Non talis fuit miles Gothicus, qui ex agris ab aratro eligebatur & piscaturâ. Horum manus nesciunt ullum recusare laborem. *Neque enim*, verba sunt Vegetii, c. l. *unquam debet dubitari aptiorem armis rusticam esse plebem, quæ sub dio & calore nutritur: solis patiens, umbræ negligens, deliciarum ignara, simplicis animi, parvo contenta, duratis in omnem laborum tolerantiam membris. Cui gestare ferrum, fossam ducere, onus ferre, consvetudo de rure est. &c.* Sic cùm ad duros Gothi labores fuerint adsueti, non adeò magnus Principibus Gothorum labor fuit in colligendo milite, modò Ducum ritè delectus militarium factus fuerit.

Agricolæ fortes & laboris patientes.

§. I.
De Potentia Gothorum Militari.

Svevorum centum pagi.

Certè Suevo-Gothos centum habuisse pagos creditum est: ex quibus quotannis singula millia armatorum, bellandi causâ, suis ex finibus educebant; reliquis domi manentibus pro se atque illis agrum colentibus. Hi rursus invicem anno post, in armis erant, istis domi remanentibus. Sic neque agricultura, neque ratio atque usus belli intermittebatur. Viget adhuc talis mos in Sarmatiâ nostrâ. Ubi ex certis territoriis, pagis, mansis, certi eliguntur milites & probantur. Quod si quis inidoneus reperiatur, rejicitur. Gothi in Prussia veteres accuratum satis habuerunt militum delectum. Quælibet Provincia certum adducebat expediebatq; equitum peditumque delectorum numerum. Hos milites vocat Petrus à Dysburus partic. 3. Chorn. c. 3. *pugnatores.* Prussia olim Seculo nato Christo â XIII. divisa fuit (præter Litvaniam S. Russiam, quæ olim ad eam spectabat) in undecim Provincias. *Culmensis* S. *Lubovii* prima erat. Hanc sequebatur *Pomesania*, post: *Pogesania*, S. *Hockia*, post: *Varmia*, quinta erat: *Natangia*, Sexta: *Samia*, Septima: *Nadrovia*, Octava: *Zalavonia*, Nona: *Sudovia*, Decima: *Galindia.* Undecima erat *Barthia*, quæ in tres districtus dispertiebatur, nempe in *Majorem*, *Minorem*, & *Plik-barthiam.* Quælibet Provincia, in motu belli publico, non contemnendi

Delectus militum in Prussia.

Pugnatores.

XI. Provinciæ Prussiæ.

(*a*) Salustius in Jugurth. 85. (*a*) Salust. in Catat. (*b*) Veget. l. 1. c. 3. (*c*) Veget. c. 1.

di educebat exercitum. Pomesania, testantibus Chronicis Prussicis præsertim Waldeks, & Jeroszin; Item Dusburgs, habuit paratorum militum *octuaginta millia*. Pogesania, *quadraginta quatuor millia*. Varmia *sexaginta millia*. Natangia, *quinquaginta sex millia*. Sambia, Provincia ferè minima in Prussia, *quadraginta quatuor millia*. Nadravia, *quadraginta sex millia*. Zalavonia, *triginta sex millia*. Sudowia, 6000. *Equites* & *sexaginta millia peditum*. Galindia, tum temporis ferè desolata *sexdecim millia*. Barthia, *quinquaginta octo millia*. Præter Culmensem Provinciam, quæ modò Polonis, modò Prussis servit. Sic sola Prussia, eaque non tota ad 500000. militum educere potuit: quamvis hunc numerum non semper vel rarissimè adhibuerit. Sæpiùs tertiam, quartam vel sextam illius partem tantummodò. Cùm Teutonicus Ordo, petitis Conradi Ducis Masoviæ & Cujaviæ annuens, subsidiarios suos adduxisset milites, Prussi contra hos sufficere putabant, si vel sextam Potentiæ suæ militaris educerent partem, in expeditionem bellicam. Deligebant nimirùm ex *Sambia*, 12000. Ex *Sudavia* 6000. ex *Nadravia* 15000. Ex *Zalavonia* 9000. ex *Natangia* 14000. ex *Pojesania* 11000. ex *Pomesania* 20000. Waldeks Chron. M. fol. 556. His non adeò magnis copiis Prussi exercitum Conradi Ducis Masoviæ & Cujaviæ, ut & Ordinis Teutonici ferè totum deleverunt. Hæc immanis Prussorum Potentia comprobatur ex hoc; quæ refert Petrus à Dysburus Part. 3. Chron. c. 70. Scilicet; Ottocarus Rex Bohemiæ potentissimus, voto pro propaganda fide, & exstirpandis infidelibus emisso, exercitum *ad sexaginta millia* militum & suprà collegerat. Hic cum tali exercitu Sambiam ingressus, Viro cuidam Prusso nobili, qui ad eum ab Ordinibus Sambiæ expressè missus erat, (creditur is fuisse ex Illustri familia Generos. On. à *Perbant*.) Ostensâ exercitus sui parte, (ad 20. millia,) ex eo quæsivit; num hunc putaret exercitum Sambiensibus debellandis sufficere? Prussus ille, rerum militarium haud ignarus, simpliciter negavit. Idem deinde Rex duplò majore producto exercitu, idem ad quæsitum priùs responsum reportavit. Idem Prussus tertiò ad triplò majores copias ostensas regessit. Tandem cum totus Regis, ut & Ordinis Teutonici omnis exercitus in circumjacentes eductus esset campos & ostensus, homini confessionem extorsit, totum illum exercitum ad Sambienses domandos fore sufficientem. Et tamen Rex ille Potentissimus, contra Sambienses per tres ferè annos bellare necesse habuit, donec illos debellaret, Ordinique subjugaret Teutonico. Quod si solis Sambiensibus tantæ inerant vires, ut tantis Regis se opponere copiis, bellumque tam atrox per tot annos sustinere valuerint, quid putatis præstituros fuisse Prussos, si omnes Prussiæ Provinciæ conjunctis viribus sese Crucigeris opposuissent? Certè Petrus à Dysburus Primus ac Primas ferè Historicorum Prussiæ, qui exstant, immanem admirabundus Prussorum potentiam perpendens, non nisi admirandæ divini Numinis potentiæ adscribit, quod Ordinis Teutonici Milites Crucigerorum, quamvis totius sæpè Romani Imperii viribus suffulti fuerint, potuerint tam brevi tempore, intra tamen quinquaginta tres annos tam potentium

Prussorum potentia.

Sambiensium potentia.

populum domare sibique ac Fidei Catholicæ subjugare. Et si soli Prussi, qui tamen minima Gothicorum populorum pars fuit, tam numerosum emittere valuerunt contra hostes suos militem; facilè est conjectû, quantæ olim tot & per tàm latè distentos terrarum tractus diffusis populis Gothicis, fuerint vires in bellicis eorum expeditionibus? Adeò non miremur *Attalum* Hunnorum ac Gothorum Regem *Milionem Militum* in confines sibi terras potuisse educere, cùm planum sit, unam Matronam apud Hunnos nobilem, nomine *Barze*, ex tribu *Sabes*, potuisse in auxilium Romano Imperio militum adducere copias ad centum millia. De quo Orb. Goth. lib. 2. c. 6. §. 2. p. 212.

Attali Exercitus 1000000. militum.

Nobilis fœminæ Barze potentia.

§. II.

De delectu Militum & ejus modo.

In delectu militum, respectus fuit.

(1.) Ætatis.

IN delectu militiæ Tyronum respiciebant Gothi, more omnium populorum ad *ætatem*, & quidem cogebantur incipiente pubertate militiæ Tyrones: faciliùs quippè & perfectiùs imbibuntur, quæ à pueris addiscuntur. Et melius est, ut juvenis, antequam corpus ætate pigrescat, se exerceat in iis, quæ strenuum faciunt bellatorem. Non levis sanè aut parva videtur ars armorum, equitem aut peditem, armaturæ numeros omnes, omnesque gestus docere; ne locum deserat: ne ordines turbet: *ut missile & destinato ictu & magnis viribus jaciat: ut fossam ducere, sudes scienter figere nôrit, tractare scutum, & obliquis ictibus venientia tela deflectere, plagam prudenter vitare, audacter inferre.* Veget. l. 1. c. 4. Quare sapientissimè *Theodoricus* Gothorum Rex Gothos suos adhortatus est, ut juvenes in Martiam disciplinam ab ineunte ætate producerent, dicens: *Quod in juventute non discitur, in maturâ ætate nescitur*; Simul adducens exemplum accipitrum, qui foetus suos, etsi novitate marcentes, nidis proturbant.

(2.) Indiciorum naturalium.

Cæterùm qui delectum apud Gothos agebant, solebant benè intendere, ut ex vultu, ex oculis, ex omni membrorum conformatione eligerentur tyrones, qui officium implere valeant boni bellatoris. Qui bella Gothorum apud Auctores legit, deprehendit Gothos more Romanorum Martio deputâsse operi adolescentes vigilantibus oculis, erecto cervice, lato pectore, humeris musculosis, valentibus digitis, longioribus brachiis, ventre Modicos, exiliores crucibus, suris & pedibus non superflua carne distentis, sed nervorum duritiâ collectis. Veget. l. 1. Sidonius Apoll. in descriptione Gothici Principis Ep. ad agricolam. & Lazius. de Migrat. Gent. lib. 10. Procopius lib. 3. Hist. Goth. Certè in brutis animantibus indicia observamus; juxta illud Solini c. 3. *Motus equini de auribus intelliguntur, animos leonum frons & cauda indicat.* Imò juxta Virgilii lib. 3. Georg.

Indicia equi.

Nec non & pecori est idem delectus equino,
Continuò pecoris generosi pullus in arvis
Altiùs ingreditur, & mollia crura reponit.
Primus & ire viam, & fluvios tentare minaces
Audet,

Audet, & ignoto sese committere; ponti
Nec vanos horret strepitus: illi ardua cervix
Argutumque caput, brevis alvus, obesaque terga:
Luxuriatque toris animosum pectus: honesti
Spadices, glaucique; color deterrimus albis,
Et gilvo: Tum si quà sonum procul arma dedêre,
Stare loco nescit &c.

lib. eodem de boum forma: *Indicia bovis.*

--- --- --- *Optima torvæ*
Forma bovis, cui turpe caput, cui plurima cervix &c.

Si inquam, Gothi ut & cœteri populi præsertim Romani prout videre est apud Cassiodorum in delectu equorum ad bellum deputatorum, ad indicia respiciebant, verisimile omninò est, illos non minùs attendisse, ad futuri boni militis indicia, in juvenibus Marti consecrandis. Respiciebant ergò Gothi in militibus, quos deligebant, ætatem, & in ætate ingenium. Cùm enim Gothorum, prout juxta Tacitum, longa fuerit pueritia, utique & maturâ adolescentiâ induerunt militem, quod testatur Tacitus de Germano-Gothis: *Arma* inquit, *sumere non ante cuiquam moris, quàm civitas suffecturum probaverit --- donec ætas separat, virtus agnoscat.* Quis horum sit sensus verborum Taciti, patet ex seqq. ubi inter alia hæc habet: *Ut primùm adoleverint, crinemque barbamque submittere; nec nisi hoste cæso exuere votivum obligatumque virtuti, oris habitum.* Nimirum militaris ætatis initium fuit, â pubertate & barbæ eruptione, quæ ferè fit vigesimo ætatis anno, qui annus erat & Judæis familiaris in electione militum. Numer. Cap. 1. v. 3. ut & aliis nationibus. Certum ætatis annum militia in juvenibus dedicasse illos non legimus; ut ut Gens hæc multis, eisque variis dedita fuerit superstitionibus. Hos tamen nobis Rosensvveigio referente constat *numerum imparem* in juvenibus Prusso-Gothis ad militiam assumptis observâsse. Qua de causa suspicamur; nostros Gothos, quorum prima, in Prussiâ, & nativa sedes fuit, (a) annum ætatis septimum decimum militiæ initium in juvenibus robustioris naturæ dedisse; in aliis decimum nonum vel vigesimum primum. Vetustissima hæc apud Gentes fuit superstitio, qua impar numerus plenus & magis faustus habebatur (Censorin. de die natali cap. de annis Roman.) juxta illud Poetæ Virgil. *Annus militiæ.*

--- --- Numero DEus impare gaudet.

Inde Pythagoras numerum septenarium religioni aptissimum judicavit. (b) Adeò quoque omnes menses, pleni & impari dierum numero esse cæperunt, excepto Februario, qui solus cavus, & ob hoc cæteris infaustior est habitus. Censorinus c. 1.

Amabant tamen Gothi *Proceritatem*, ac eminentem in milite præsertim Principe ac Comite ejusdem, staturam. Adnaturale erat Gothis eminere præ Romanis staturâ. Inde Manilius lib. 4. *2. Staturæ.*

(a) Vid. Orb. Goth. lib. 1. (b) Apulejus de Asino aureo. lib. 11. Aristot. lib. de Cœlo.

Et stupefacta suos inter Germania partus.

Item.

Flava per ingentes surgit Germania partus.

Nomine Germanorum, quod sæpius jam hìc & alibi in Orbe Gothico monuimus, intelligendi sunt Gothi, qui communiter Auctoribus Germani septentrionales audiunt. De quo fusiùs in Orbe Gothico.

Prussus procerus. Comprobant hoc Chronica Prussorum, ex quibus hoc juvat referre: Prussi Pagani, tempore Ordinis Crucigerorum Teutonici Civitatem Culmensee oppugnantes, amiserunt quendam ex suis proceræ nimìs ac eminentis staturæ militem, virum Nobilem, Prussum. Hunc ut redimerent, obsidionalis hujus militiæ Dux, pollicitus seriò est, se civitatis obsidionem remissurum, si istum procerum Prussum Ordinis miles præsidiarius restitueret. Restitutus fuit, & obsidio remissa. Jerosin. Dysb. p. 3. Chron. c. 148. Henneb. in Comment. ad Tab. Pruss. p. 54. *4. Ad vitæ genus.* In delectu militum Romani olim respiciebant multùm *ad vitæ genus.* Qui videbantur tractare ea, quæ ad gynecæa pertinent, longè à castris pellebant. Ita & respuebant *Dulciarios, Lintearios, aucupes, Piscatores.* Econtra *fabros ferarios, carpentarios, Macellarios & Cervorum Aprorumque venatores* sociabant militiæ. Gothi in his non adeò curiosi erant, utpote deliciarum ac voluptatum ignari. Habebant in agris sufficientem plebem rusticam, laboribus enutritam, parvo contentam, assuetam ferrum gestare, onus ferre, fossam ducere; quæ durata ad omnem laborem habebat membra. Non adeò delicati erant Gothi, campestres illæ animæ, ut dulciarios, Placentarios, gynæciarios & ejusmodi hominum genus, alerent.

Istiusmodi genus hominum, iis castris potiùs conveniret, ubi calceatis dentibus milites eunt ad pugnam, quales apud Plautum in Captivis recenseri legimus:

Multis, ac multigeneribus opus est tibi
Militibus, primùm dum opus est Pistoriensibus,
Opus Paniceis, opus est ficedulensibus,
Jam maritumi omnes milites opus sunt tibi.

Piscatores militiæ consecrati. Piscatores, quos Romani respuebant, tamen Gothi militiæ adsociabant, præsertim navali. Et hæc gens diu noctuque tœdiosissimis implexa laboribus, duram satis agit vitam, militiæ haud incongruentem. Est enim genus Venationis piscatura, in qua non facilè quis proficiet, nisi qui ad omnem laborum tolerantiam induratos habet pedes & manus.

Ita Gregarium militem cogebant Gothi, qui tamen & in hoc respiciebant ingenuitatem animi & morum. *5. Ingenuitatem & mores.* Et magìs in illis, cui militare aliquod concredebant officium. Ad quod plerumque nobiles ingenuique genere assumebantur. Juventus enim, cui defensio provinciarum, cui bellorum committenda fortuna est, & genere, si copia suppetat & moribus debet excellere. Honestas enim idoneum militem reddit. Verecundia, dum prohibet fugere, facit esse victorem. Quid enim prodest, si exercetur ignavus? Si pluribus stipendiis meretur

tur in castris? Nunquam exercitus profecit tempore belli, cujus in probandis tyronibus claudicârit electio. Et quantum usu experimentisque cognovimus, hinc tot ubique ab hostibus illatæ sunt clades, dum longa pax militem negligentiùs incuriosiusque legit: dum honestiores quique civilia sectantur officia, dum possessionibus indicti tyrones, per gratiam aut dissimulationem probantium tales sociantur armis, quales domini habere fastidiunt. A magnis ergò viris magnâ diligentiâ idoneos eligi convenit juniores. Ut rectè judicat Vegetius l. *1.* c. *7.*

Domesticus miles Gothorum.

Domesticus hic miles fuit seu domi natus. Externum, quod sciam, non nobis Auctores probant Gothos habuisse. Interraneum habebant & amabant, utpote non gravem ærario publico; quique non fortitudinem magis, quàm fidem ergà Patriam & Principem colentes, mucronibus se objiciebant insidiantium, reverentes & modestè loca sedesque Patrias suspicientes. Ii enim ad obsequia & patientiam imperii paratiores, geniti nobis, non asciti. Contra exterus ascititiusque miles infidus sæpè, & majore ex diverso mercede, jus fasque exuit: cuique plerumque *venales manus, ibique fas, ubi maxima merces.* Sæpiùs seditiosè agere, cuncta ex libidine agere, sine pudore flagitii, sine cura Ducum fugere &c. Gravissimus hic ærario; cujus operâ.

Ossa vides Regum vacuis exsucta medullis. Juven. Sat. 109. v. 90.

Auxiliares milites Goth.

Et tamen ingruente necessitate non spernebant Gothi *auxilia:* ast suæ gentis, ejusdem ritus & linguæ. Ita illi sæpiùs *Rugiis Herulisque* in societatem assumptis Imperio Romanorum terrori fuere. Semper tamen sic providi, ut plus sui roboris, suarum propriè virium in castris habuerint, quàm exterorum.

Modus quo militem induit Gothus.

Modum, quô militem induit Gothus, nobis describit Tacitus c. l. *Arma*, inquit, *sumere non ante cuiquam moris, quàm civitas suffecturum probaverit. Tum in ipso concilio vel principum aliquis vel pater, vel propinquus scuto frameâque juvenem ornat.* Mos hic olim multis communissimus populis. Olim Græcis in usu fuit tyrones inter Viros publicè adscribere. Dion. Italicarn. l. 2. & adhuc mos hic ubique politiorum Gentium in Prussiâ, Germaniâ est, vocaturque: **Einen Wehrhafftig machen.** i. e. *facultatem portandi arma alicui dare*, vel ad arma ferenda idoneum pronunciare publicè. Hoc tamen quod Tacitus habet, puto concernere ingenuos ac nobiles, qui ad militiam solenni ritu suscepti sunt. Aliter cum communis sortis militibus actum, quos quilibet nobilis ex suis subditis, ex agris de aratro vel piscatura delegit, vel in militem assumpsit, in quorum receptione tales pomposos habitos fuisse ritus vix credimus. In Ingenuis ac nobilibus, solenni ritu assumendis credo præcessisse nonnulla virtutum specimina ac generosi spiritus argumenta.

§. III.

De Exercitationibus Gothorum militaribus.

UTi inordinatus exercitus gravissimis subjacet ab hostibus periculis, ita militarem nunquam ordinem addiscet Tyro, nisi benè exerceatur. Juxta illud Vegetii: Inexercitatus miles sem-

Variæ exercitationes militares Gothorum. Doctores Militiæ. Eruditi Gothi. 1. in gradu.

per est tyro. Variarunt tamen apud Gothos exercitationum harum meditationes, prout illorum arma, ad quæ ritè exercendi erant juvenes, variârunt. His fuerunt certi dati Doctores. Erudiebantur autem tyrones, in gradu, cursu, saltu, natatu, jactu, punctis, denique in exercitii genere, quod Gothi Karras, Romani armaturam vocarunt. Prima igitur meditationum auspicia erant *gradus militares.* Nihil enim magis in itinere vel acie custodiri debet militibus, quàm ordo in incedendo, quem accuratè servent. Assiduo quare exercitio docebant juvenes celeriter & æqualiter ambulare. Mox pleno gradu & citatiore, mox cursu, qui velocior, mox saltu.

2. In cursu.

Ad cursum adsvefaciendi erant, ut majore impetu in hostem procurrerent; ut loca opportuna celeriter, cùm usus advenerit, occuparent: vel adversariis præoccuparent: ut ad explorandum alacriter pergerent, alacriùs redirent: ut fugientium terga faciliùs comprehenderent &c. &c.

3. In saltu.

Ad saltum exercendus erat miles, ut, cùm fossæ transiliendæ essent, aut impediens aliqua altitudo superanda, sine labore posset transire miles. Præterea in ipso conflictu ac dimicatione telorum bellator cum cursu saltuque veniens adversarii perstringeret oculos, mentemque deterreret, priusquam plagam inflixerit, quàm ille ad cavendum vel ad resistendum certè se præpararet.

Exercitationes Romanorum.

Easdem fuisse & Romanis exercitationes, docet Vegetius l. 1. c. 9. Hic de *Pompejo* ex Salustio refert; quod cum alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum validis vecte certaverit. Neque enim illum aliter potuisse parem esse Sertorio, nisi sese & suos milites frequentibus exercitiis præparâsset ad prælia.

Sertorius miles magnus.

Sertorius hic in scientia militari ita præ cæteris eminuit, ut magni militis nomen apud Romanos obtinuerit. Hic enim parvissima militum manu octo circiter millium adversùs quatuor Romanos duces bellum gessit, quanquam sub iis essent peditum millia centum viginti, equitum septem millia, & præter funditores & sagittarios etiam Urbes infinitæ. *Cottam* navali prælio superavit: *Phidiam* Prætorem in fugam egit. *Domitium* Præconsulem Iberiæ contrivit. *Torium* cum toto exercitu delevit. *Metellum* in tantam necessitatem compulit, ut L. *Lollius* ex Narbonensi Provincia; Cnej. *Pompejus* Magnus, de quo hìc agitur, ex urbe cum summa festinatione ad eum mitterentur. Flor. lib. 3. c. 22. Plutarchus in Sertorio. In his rebus Populos Gothicos fuisse exercitatissimos ad unum Auctores dicunt. Huc spectat illud Sidonii:

Cursu Herulus, Hunnus jaculis, Francusque natatu.

Velocitas Gothorum.

Inprimis velocitate sua Romanos Gothi plerumque in acie perturbabant attestante Julio Cæsare: qui de Equitatu Svevo-Gothorum, quorum Rex Ariovistus fuit, hæc inter alia refert: *Cæsar*, inquit, *pro Castris suas copias produxit, & aciem instructam habuit, ut si vellet Ariovistus prælio contendere, ei potestas non deesset. Ariovistus hic omnibus diebus exercitum castris continuit, equestri prælio quotidie contendit. Genus hoc erat pugnæ, quo se Germani exercuerant. Equitum millia erant sex, totidem numero pedites velocissimi & fortissimi, quos ex omni copia singuli singulos suæ salutis causâ delegerant. Cum his in præliis versabantur, ad eos se equites recipiebant. Hi si quid erat*

erat durius, concurrebant. Si qui graviore vulnere accepto, equo deciderant, circumſiſtebant. Si quo erat longius prodeundum, aut celeriùs recipiendum, tanta erat horum exercitatione CELERITAS, UT JUBIS EQUORUM SUBLEVATI, CURSUM ADÆQUARENT. Idem lib. 4. ejusd. hiſtor. *Equeſtribus prœliis*, inquit, *ſæpè ex equis deſiliunt, ac pedibus prœliantur, equosque eodem remanere veſtigio adſvefaciunt: ad quos ſe* CELERITER, *cùm uſus poſcit, ſe recipiunt.* --- --- --- *Atque is dies induciis erat ab his petitus, impetu facto celeriter noſtros perturbaverunt: rurſus his reſiſtentibus conſuetudine ſua ad pedes deſilierunt, ſuffoſſisque equis, quàmpluribusque noſtrorum dejectis reliquos in fugam conjecerunt.*

Natandi uſum æſtivis menſibus ſedulò juvenes Gothorum milites addiſcebant. Nec ſine cauſa. Sæpè enim ab ipſis aquis diſcrimen incurrit exercitus torrentibus ſæpenumero repentinis imbribus vel nivibus nimiùm exundantibus. Sæpiùs etiam pontibus deficientibus cedens vel inſequens natare cogitur exercitus. Hanc natandi artem benè quoquè Romani ſuis inculcabant militiæ tyronibus. Hinc *Campum Martium vicinum Tiberi* delegerunt: in quo juventus poſt exercitium armorum, ſudorem pulveremque dilueret, ac laſſitudinem curſûs natandi labore deponeret. Non ſolùm autem pedites, ſed & equites ipſosque equos vel lixas ad natandum exercuerunt. Veget. l. c. cap. 10. Prævaluiſſe in hoc plerumque noſtros Romanis Gothos patet ex Herodiano, qui de noſtris, quos Germanos vocat, hæc habet: *Germani quidem*, inquit, *rerum ignari, quod rapido raptoque impetu Italiæ flumina deferantur, ratique ſenſim campos influere, quemadmodum penes eos conſueverunt.* Idem Auctor de Germanis ac Marcomannis ſcribens ait: *Sunt enim Germani navigando vel nando exerciti, qui tantummodò in fluminibus lavantur.*

4. *In Natatu.*

Cæteras militum exercitationes apud Gothos viguiſſe, nemo qui Martiam illorum mentem novit, eorumque bellicas legit expeditiones, negare poteſt. Undè ad hæc addiſcenda egregios habuiſſe Doctores mihi omninò probabile eſt. Hi inſtruebant juvenes ordines ſervare, vexillum ſuum ſeu ſigna in permixtionibus, in prælusionibus comitari, punctim, cæſim hoſtes ferire: Saltus & ictus facere, inſurgere tripudiantes in clypeum, rurſusque ſubſidere: nunc geſtiendo provolare cum ſaltu, nunc cedentes in terga reſilire: miſſilibus procul ferire adverſarios, ſariſſas, haſtas, ancones, contos, verutra, pila, plumbatas &c. &c. dirigere: ſaxa vel manû ſolâ, vel fundâ, unicâ circum caput rotatione emittere. Denique prælusiones acierum facere. Hæc exercitia militaria Gothorum adeò probata fuerunt Romanis, ut ſuos milites illa eorum exercitia docuerint. Ita enim Arrianus lib. de Tactica refert: *Imperator verò*, inquit, *invenit, ut & barbaricè ſe exercerent, prout vel Parthorum vel Armeniorum equites jaculatores ſe exercent, itemque prout variè Sarmatarum aut Celtarum contati convertunt avertuntque equos, in mero currentes, itemque jaculationes, quibus in hoc negotio variis diverſisque utuntur idoneis ad pugnam, & clamores patrios cuique genti, Celticos Celtis equitibus receptos, Geticos Gethis.*

Romanis à Gothis exercitia militaria receperunt.

 Rhæti-

Rhæticos illis, qui sui sunt ex Rhætia. Etiam fossam transilire discunt equi ipsorum, si fortè debent transilire.

Vitiges exercitatus miles. Præterea patet hoc ex Procopio, qui lib. 3. Histor. Goth. de *Vitige* Gothorum Principe refert, quod in medio Campo, ut bellicæ artis peritus ac ludibundus, processerit, equum diversim calcaribus concitando, in orbem frenis agiliter agere, obequitando telum in auram sursum versus aptè diverberare, & idipsum rursum ad terram delatum impigrè excipere, momentoque temporis exceptum vibrare & eodem alternas per manus translato, gloriæ id artis plurimum ducere, supinandoque se desuper eqvum, inclinandoque utrinque ad terram & vicissim in latera: ut qui à pueris fuisset desultandi ac tripudiandi artem edoctus &c. &c.

Hæc *Nobilium* præcipuè *exercitia.* Nec minùs & plebs militaris sua quoque tempore pacis habuit exercitia, quæ nunquam omittebant. *Exercitia militaria Gothorum tempore pacis.* Hinc Theodoricus Rex Gothorum apud Cassiodorum lib. 4. Var: cap.10. jussit, ut *disceret miles in otio, quod proficere possit in bello.* Hic Princeps non modò in exercendis militiæ tyronibus, sed in muniendis urbibus occupatissimus fuit. Unde apud Cassiod. lib. 1. Var. c. 17. ita ait: *Publicæ utilitatis ratione commoniti (quæ nos cura semper libenter oneravit) castrum juxta vos positum præcipimus communiri; quia res præliorum benè disponitur, quotiens in pace tractatur. Munitio quippe tunc efficitur prævalida, si diutina fuerit excogitatione roborata. Omnia subita probantur incauta: & malè constructio loci tunc quæritur, quando jam pericula formidantur.* Idem apud Eundem lib. 3 Var. c. 48. *Munitio tractanda est semper in otio: quia tunc malè quæritur, quando necessaria judicatur.*

Edocti Gothi in phalange celeriter facienda. In *phalange facienda Gothorum* apud Auctores celebratur scientia & Celeritas. Ita enim J. Cæsar cùm Cæsaris cum Ariovisto Marcomannorum Rege conflictum describit: *At Germani*, inquit, *Celeriter* EX CONSUETUDINE SUA, *phalange facta, impetus gladiorum exceperunt.* Conferantur, quæ supra ex Cæsare attulimus de eodem Ariovisto. Eadem exercitia militaria Gothos olim in Sarmatia nostra Patria, fovisse constat non modò ex Chronicis Polonis, Prussis, in quibus habetur, quod militiæ nobilitatique adscribendus debuit tyrocinia sustinere in equitando, tela variè vibrando &c. quo præstito publicè pro milite proclamatus, quoquè cæteris in altum pro consuetudine patriæ elevatus, donec adjecto convivio solenniter hæc finita fuerint: Sed & comprobatur ex congressibus & prælusionibus martialibus, quas servitores magnatum, juvenculi Poloni & Lietvani tempore comitiorum Polonorum adhùc facere solent.

§. IV.

De Sanitate Militum conservanda.

Miles qui sub diu, in opacis & inopacis locis vivere, parvo & simplici uti victu & amictu, solem pulveremque ferre adsuevit, deliciarum ac voluptatum ignarus, ac illarum contemptor, ad omnem laboris, famis, sitisque tolerantiam induratus, qua-

lis

lis fuit Gothus miles, facilè in sanitate conservatur; nec facilè legimus, nisi rarissimè, exercitus Gothorum fuisse morbis consumptos. Conservabant autem se, partim *continuis armorum exercitiis atque laboribus militaribus.* (Hæc eorum paramenta & sanitatis ac valoris in castris & in conflictu victoriæ:) *partim frequenti castrorum mutatione.* Cùm enim diutiùs præsertim æstivo tempore, in iisdem locis militum multitudo consistit, facilè ex contagione aquarum & odoris ipsius fœditate vitiatis haustibus, & aëre corrupto perniciosissimus oriri potest morbus, totum sæpè delens exercitum. Probabile tamen est illos more omnibus feré nationibus communi studiô præcavisse, ne ad malas aquas aut morbosas paludes, vel ad loca, ubi lignorum aut aquæ, frumenti, pabuli, salis non suppetebat copia, castra aut stationes ponerentur. *Malè enim cum his agitur, quibus necessitas & belli incumbit & morbi* Veget. l. 3. c. 2. Quanta Veterum in hac re fuerit curiositas ac sagacitas patet ex Vitruvio lib. 1. de Architectura. c. 4. qui qua ratione loci salubritatem explorârint, antequam castra figerent aut urbes, egregiè demonstrat. *Majores*, inquit, *è pecoribus immolitis, quæ pascebantur in iis locis, quibus aut oppida aut castra stativa constituebantur, inspiciebant jecinora: & si erant livida & vitiosa prima, alia immolabant, dubitantes utrum morbo, an pabuli vitio læsa essent. Cùm pluribus experti erant, & probaverant, integram & solidam naturam jecinorum ex aqua & pabulo; ibi constituebant munitiones: si autem vitiosa inveniebant, judicio transferebant. Item in humanis corporibus pestilentem futuram nascentem in iis locis aquæ cibique copiam; & ita transmigrabant, & mutabant regiones, quærentes omnibus rebus salubritatem.* Eadem factitasse nostros Sarmatas præsertim in Lietvania, Masovia, Prussia, antiqua eorum attestantur Chronica, de quo quoque in Deliciis meis.

Sanitas militum conservata continuis armorũ exercitiis ac castrorum mutatione.

Sagacitas Veterum in exploranda loci salubritate.

Cæterùm vicinitas palustris non probabatur Veteribus in munitionibus. *Cùm enim*, inquit idem Vitruvius c. l. *auræ matutinæ in sole oriente ad oppidum* (castra) *pervenient, & iis ortæ nebulæ adjungentur, spiritusque bestiarum palustrium venenatos cum nebulâ mixtos in habitatorum corpora flatus spargent, efficient locum pestilentem.* Hac de causa Constantinus Imp. lib. 5. de agricultura voluit. *Vites & Sata* abesse à paludibus, ob nebulas ac frigidas auras. Cùm autem locus ex necessitate pro castris metandis vel munitionibus exstruendis acceptari sæpè debet. Serpentibus ac insectis venenosis infectus varia adhibebantur in contrarium remedia. De quo apprimè Lucanus:

Palustria loca insalubria non habentur.

Remedia contra serpentes & insecta.

Ultima castrorum meditatus circuit ignis,
Hic ebulum stridet peregrinaque Galbana sudant,
Et larix non læta comis, Eoaque costus,
Et panacea potens, & Thessala centaurea.
Peucedanum sudat flammis Ericinaque taxus,
Et larices, fumoque gravem serpentibus urunt
Abrotanum, & longè nascentis cornua cervi.

Huc spectat illud Virgilii.

Disce & odoratam stabulis accendere cedrum,
Galbaneoque agitare graves nidore chelydros. &c. &c.

Remedia contra aquas insalubres.

Cæterùm Constantinus lib. 2. de Agricultura c. 6. Auctor est, aquam insalubrem fieri salubrem, *laurû vi ipsa madefactâ.* Nostri Sarmatæ, si loco insalubriori exercitus considere cogatur, ubi aqua turbida sit aut in palustris, solent in vasa eam infundere, & sub dium exponere, donec resederit; post in alia vasa leviter diffundere, relicta feci subsidente. Conf. Aristot. l. 3. de partibus animalium. Galenus l. 1. de tuenda Sanitate.

§. V.

De distinctione Militum.

Gothorum equi varii.

Distinguebantur Gothorum milites *in Equites & Pedites* ad illos quoque referebantur *Essedarii.* Tacitus c. l. non quidem *Gothorum* laudat *equos*, utpote *qui non formâ, non velocitate conspicui, sed nec variare gyros in morem Romanorum edocti: in rectum aut uno flexu dextros agentes. &c.* Ante hunc Cæsar quoq; Comm. 4. de Germano-Gothis ferè ad hunc modum loquens *Jumentis*, inquit, *Germani, importatis non utuntur; sed quæ sunt apud eos nata parva & deformia. Hæc quotidiana exercitatione, summi ut sint laboris, efficiunt.* Hoc tamen in universum de Gothis haud dicendum putamus ab aliis edocti, egregios olim & raræ magnitudinis equos habuisse Gothos præsertim nobiles inter eos & Viri Principes. Quos ad usum militarem accuratè satis edocuerunt. Patet id ex Procopio l. 3. Just. Goth. qui de Vitige refert, quod is Bellisario cum duobus millibus equitum auxilio veniens equo usus non modò *phalerato, ac miræ magnitudinis*, sed & *benè edocto*, quem diversim calcaribus concitando in orbem frenis agiliter agere, in eoquè telum in auram sursum versus aptè diverbare & id ipsum rursum ad terram delatum impigrè excipere, supinando se desuper equum inclinando utrinquè ad terras & vicissim in latera alternas per manus transferre poterat, à pueris desultandi artem edoctus. Quod certè Vitiges nonnisi in equo ad militares usus edocto præstare poterat. Non equidem diffiteor, Gregarios Gothorum milites adeò exercitatos edoctosque in universum haud habuisse equos, plerumque tamen summi laboris & patientiæ, quibus res sæpè magnas perficere poterant: prout adhuc Zamogetharum equi, quamvis parvi sint, ita tamen duri, ut ad labores & itinera ferè ferrei habeantur; quibus in laborum tolerantia nullo modo comparendi sunt equi Danorum aut Frisiorum.

Vitiges equus miræ magnitudinis.

Zamogetharum equi duri.

Gothi binos trahebant equos.

Cæterùm apud Gothos moris fuit, Ammiano teste c. l. *binos trahendi equos;* more hodiernorum Ukrainensium in nostra Sarmatia, ut jumentorum vires foveret permutatio, vigorque otio integraretur alterno: quem morem quoque Romani ab his populis edocti, acceperunt, qui itidem in prælio utebantur *paribus equis*, id est duobus, ut sudante altero, transirent in siccum. Cœl. Rhod. lib. 21. c. 30.

Num

Num verò plus penes pedites in Exercitu Gothico roboris fuerit, quàm penes equites; non facilè dixerim. Taciti sensus hic est: *In universum æstimanti plus penes peditem roboris.* Hic tamen fateri cogitur, quod pedites & equites mixtim præliati sint aptâ & congruente ad equestrem pugnam velocitate peditum. Julius Cæsar Comm. I. magis dilucidè: *Si quò erat*, inquit, *longiùs procedendum*, *aut celeriùs redeundum*, *tanta erat horum* (Suevo-Gothorum sub Ariovisto Rege) *exercitate celeritas*, *ut jubis equorum sublevati*, *cursum adæquarent.* Videtur, militum gens, quod hodiedum Tevtones, Draguner, (Græci olim ac Romani *dimachos* teste Cælio l. 21. c. 31.) appellant, qui & pedites & equites pugnant, inde Originem duxisse. Huic equitatui maximè Romanorum Imperator *Maximinus*, teste Herodiano, consuevit, quorum magnam multitudinem, quam sibi auxiliarem futuram sperabat, hostibus proponere solebat, ut primos impetus pugnæ exciperent, quoniam feroces audacesque Viri in pugnæ exordio existerent. Hi equestribus præliis sæpè ex equis desiliebant, pedibus præliantes, equis eorum eodem remanere vestigio assuefactis, ad quos se celeriter, cùm usus poscebat, recipiebant.

Dimachi.

Equites tamen hi non utebantur *Ephippiis.* Neque enim eorum moribus turpiùs quicquam, aut inertius habebatur, quàm ephippiis uti. Itaque ad quemvis numerum ephippiatorum, quamvis pauci, adire audebant. Scilicet armorum pondere immobiles sedebant in ephippiis Romani, quos Gothi ex equis desilientes, apprehensis hostium contis, viros complexi, ex equis deturbabant, vel equis suis relictis, hostium equos subientes, ventres eorum fodiebant, qui præ dolore subsultantes, excutiebant Sessores, & tam suos, quàm hostem proculcabant promiscuè. Vid. Appianus in Syriacis.

Gothi absque Ephippiis.

Nihilominus tamen frenatos, phaleratosque equos habuerunt Gothi. Ita *Sigismeri* Principis Gothi equus phaleris comptus dicitur, non tamen ephippiatus. Et phaleras etiam sine ephippio dici docet A. Gellius l. 5. Noct. Att. c. 5. Is Sigismerus ritu ac cultu gentilitio ornatus, non modò habebat equum, quem equitabat, phaleris comptum, sed & alios equos, radiantibus gemmis onustos antecedentes & subsequentes.

Sigismeri Equus phaleratus absq; Ephippio.

Variârunt tamen Gothorum equites, prout variarunt Gothorum nationes ac gentes. Hunni Gothorum socii in bello, ejusdem originis populus, ex equis arcus insinuare, sagittasque in hostes immittere quàm optimè noverant. Gothis aliis id studii haud curæ fuisse, telis duntaxat & gladiis uti adsuetis, docet Procopius lib. 1. Hist. Goth.

Varii Gothorum equites.

Hunni equites.

Hi equos assuefaciebant, flumina transnatando Viros armatos gestare. Ita Herodianus, l. 7. describens Maximini Imperatoris Rom. procinctum adversùs Papienum & Balthinum, Gothorum Principes refert, quod *Gothi ignari*, *quod rapido ruptoque impetu Italiæ flumina deferantur*, *ratique sensim campos influere*, *quemadmodum penes eos consueverunt*, *ubi flumina nihil concitantur*, *facilè congelescant*: *ausi fuerint*, *se simul & equos natandi peritos alveo concredere*, *utpote navigando vel nando exercitatissimi.* H. J.

Equi flumina transnatabant, armatos viros gestantes.

Non autem Gothi tantùm Viros habuerunt equites, sed & *mulieres*

Mulieres equites.

in exercitu bellantes. Nimirum ne se mulier extra virtutum cogitationes extraque bellorum casus putaret. Hoc datus equus, hoc data arma, quæ neo-sponsa dabat, denunciabant. Tac. de mor. Germ. Mulieres autem istæ referente Niceta Choniate in Vita Manuelis Comneni, more Alemannorum non conjunctis pedibus, sed *virorum ritu largiter deductis super sagis* (non ephippiis) *equitabant.*

Essedarii milites Gothorum.

Erant quoque milites apud Gothos, *Essedarii* antiquis dicti. Horum meminerunt Auctores non pauci. Julius Cæsar Comment. 4. &. 5. Strabo, l. 4. Diodorus l. 4. Mela l. 2. c. 3. Florus l. 3. c. 2. Frontinus stratagem. lib. 2. c. 3. &c. &c. Id genus pugnæ apud Suevos usitatum ita describit J. Cæsar c. l. *Essedis*, inquit, *circumderunt. Genus hoc est, ex essedis pugnæ. Primò per omnes partes perequitant, & tela conjiciunt, atque ipso terrore equorum & strepitu rotarum ordines plerumque perturbant.* Diodorus c. l. sic. In Itineribus & præliis utuntur bigis; quæ aurigam simulque militem gestant. Occurrentes in bello equitibus hostem petunt missilibus; dein desilientes ex comu ad gladii conflictum congrediuntur.

Mulieres Essedariæ, earum fortitudo.

Inter Essedarios fuerunt & *Mulieres*. Siquidem Orosius lib. 8. c. 26. de Cimbris loquens: *Mulieres*, inquit, *plaustris in modum castrorum circumstructis ipsæ desuper propugnantes diu, propè repulêre Romanos.* Has dixerim paramenta, vel ut Tacitus loquitur, *victoriæ hortamenta. In proximo*, ait, *pignora: unde fœminarum ululatus audiri, unde vagitus infantium. Hi cuique sanctissimi testes, hi maximi laudatores.* Essedæ currus erant, quos alii *Carros* vocarunt, inde celebratissima apud Auctores *Carrago* Gothorum, apud Flavium Vopiscum in Aurelian. Treb. Pollionem in vita Claudii. Vid. Orb. Goth. l. 4. c. 1 §. 6. p. 14.

Carrago Gothorum.

Currus Regis Gothorum quatuor cervis junctus.

Hîc incidenter notamus: Gothorum Regis carrum à *cervis* subjugalibus trahi solitum. Meminit hujus Fl. Vopiscus in Aurelian. de *Zenobia* loquens: *Currus*, inquit, *regis tres fuerunt. In his unus Oedenati argento, auro, gemmisque pretiosis operosus atque distinctus: Alter quem Rex Persarum Aureliano dono dedit, ipse quoque pari opere fabricatus: Tertius, quem sibi Zenobia composuerat, sperans se Urbem Romam, cum eo visuram, quod illam non fefellit: nam cum eo urbem est ingressa, victa & triumphata. Fuit alius currus quatuor cervis junctus, qui fuisse dicitur Regis Gothorum, quo ut multi memoriæ tradidêre, Capitolium Aurelianus invectus est.*

§. VI.

De Stipendiis militaribus Gothorum.

CErta fixaque stipendia dare Gothi non solebant. *Pigrum* quippe omnibus *pariter & iners videbatur, sudore acquirere, quod possent sanguine parare.* Ardor bellandi incitabat eos, sine stipendio suscipere militiam. *Unæ epulæ*, ut ait Tacitus c. l. *& quanquam incompti, largi tamen apparatus apud Principes pro stipendio eis cedebant; prædæ communis divisio præmium omnium laborum periculorumque fuit.* Præsertim illi, quos Principes seu Nobiles, tanquam suos

suos clientes ac subditos penes se habebant. Illi tenebantur suis dominis, tanquam absolutis suis Monarchis obedire, ac in quacunque occasione inservire; utpote, qui à suis dominis ea conditione certos agros ad colendum acceperunt, ut etiam in bello ac quovis periculo assisterent. Inde non nomine *militum*, qui certo conducuntur stipendio Gothorum exercitus, sed *plebis* veniunt apud Auctores. Ita Tacitus annal. lib. 1. & 2. Ammian. Marcell. l. 16. c. 27. gregarios Gothorum milites plebem & vulgum vocat. Qui mos adhuc in nostra Sarmatia durat. Et nobiles sæpiùs, suis hostes propriis subditis collectis propulsârunt, patriamque defenderunt, quos inter Illustrissimæ *Visniewiciorum*, *Radzivilliorum*, *Lubemirsciorum*, *Sapiehorum* & aliorum familiæ celebrantur. Vid. Wijuk Kojałowic in præfat. Hist. Lietvan.

In Prussia, antiqua ac nativa Gothorum sede, hunc Ordo Crucigerorum Teutonicus reperit morem, eumque hodiè Serenissimus Princeps Elector Brandeb. magno suo cum lucro asservat, quo certi assignati sunt pro militibus, tempore belli militaturis, agri, ipsis prædâ, si obtinuerint, contentis. E. g. sunt 10. vel 6. Mansi. Coloni illi, hos colentes mansos seu agros, è suis eligunt ac sistunt militem, instructum ad exercitia militaria. Admissum commeatu ac pecuniâ pro necessitate instruunt & sic abit ad exercitum. Comprobatur id ex primo Culmensi Privilegio, non reformato dato, Anno Christi 1233. 5. Cal. Jan. quod per amici manum C. Hartknochius olim à me acceptum evulgavit im alten und neu Preussen. Ubi inter alia hæc reperiuntur: Cap. XXXI. & XXXII. *Statuimus siquidem, ut quicunque XL. mansos vel ampliùs à domo nostra emerit, is cum plenis armis, & dextrario operto, armis talibus competente, & aliis duabus equitet. --- Qui verò pauciores mansos habuerit, cum Plata & levibus armis, & uno equo ad arma talia competente, debet cum fratribus nostris in expeditionem, quoties ab eis requisitus fuerit, pergere contra Prutenos, qui Pomezani largo vocabulo nuncupantur, & contra omnes suæ Patriæ turbatores. --- Cùm verò præfati Pomezani in Culmen. Provinciam, præstante domino fuerint ulteriùs meritò non timendi, omnes cives prædicti ab omnibus expeditionibus sint exempti, præter Patriæ defensionem, ut prædictum est, contra quoslibet turbatores.* Repetiit hoc Eberhardus à Seine in Culmensi Privilegio renovato Anno 1241 Calendis Octobr. paucis tamen mutatis. Denique patet id ex *Privilegio*, quod *Polonicum* dicitur, quo bona quædam in Prussia adhuc gaudent. In Germanica lingua dicitur das Pollnische Recht / *Jus Polonicum* ab Hermanno Balck 1233. datum Equitibus Polonis, ob merita egregia Ordini Crucigerorum Teutonico in bello contra Prutenos paganos præstita, in quo statuitur, ut quilibet Polonus eques bonorum istorum Pol. possessor debeat Ordini Teutonico in Expeditionibus bellicis inservire contra Prutenos, Pomeranos, Polonos. Verba in Privilegio illo, Teutonicâ Linguâ scripto sic sonant: Wir Brüder Conrad von Thurnberg / Marschalck; Der Bruder des Hauses St. Marien in Jerusalem / in Preussen an des Meisters Stadt. --- --- Und die Gnade der Freyheit (des Polnischen Rechts) zu verneuende / durch

Culmense Privilegium.

Jus Polonicum.

durch die Innigkeit der Mildigkeit und mit einträchtigen Raht und Mittheilung und Zuthun der Brüder des Landes von dem Culmen, --- auch mit Bescheidung und Willkühr der Handfeste der vorgenandten (Pollnischen) Ritter/ der diese gegenwärtige (Schrifft) ins neue setzende daß sie festiglich behalten/ ewiglich also: Daß ein jeder der Pollnischen Ritter sol besitzen seine Huben zu Erb-Recht/ immermehr mit diesem Unterscheide/ daß beyde Er und seine Erben/ pflichtig sollen seyn / zu dienen den seyn/ hier in Pohlen / in Pommern / und zu Preussen / zur Heerfahrt / auch in Bohtschafften / so dick als mans ihnen zu muhtet.

Zalavoni.

Memorabile est de Zalavonis Prussis, qui propter suas possessiones ipsis certis quibusdam privilegiis ad confinia Russiæ, seu Lietvaniæ concessas, olim tenebantur belli tempore Russorum seu Lietvanorum hostium molimina observare, contraque illos militare, quibus non nisi commeatus in certis leguminibus concedebatur. Inde crediderim, eos incolas nomen obtinuisse, quod dicti sunt *Zalavoni*, id est *bellantes*, à *żala*, id est *bellum* indè *żalnierus*, *miles.* Conferatur Henneb. in Explicat. voc. Zalavonia.

Ita ab antiquo non modò Gregarii milites Gothi, sed & Officiales bellici; imò ipsi Rectores & Principes, licet ab exteris ob eximiam suæ juxta & comitum suorum virtutis famam, nomenque legationibus ad profliganda bella expeterentur; tamen non stipendiis, sed muneribus tantùm ornabantur. De cætero mos erat; ultrò & viritim his conferre Principibus, vel armentorum, vel frugum aliquid, quod pro honore acceptum, etiam necessitatibus subveniebat. His cum suis comitibus nullum fixum unquam stipendium, sed loco illius epulæ largi apparatus erant & si quâ fortè *munificentia per bella & Raptus.* Tac. c. l. Sic congiario militari animabant Milites suos Gothi, qui diu mos duravit in prima Gothorum sede Prussia, etiam sequentibus seculis ab Ordinis Crucigerorum Teutonici militibus conservatus, quod patet ex epulo in annalibus Prussorum celeberrimo, quod Magister Prussiæ Generalis *Conradus Tieberius à Wallenrod*, solenniter instruxit. Adhibiti mensæ Duces ac equites præcipui eô ordine, quem cuique singularis virtutis dignitas meritaque fecissent. Caput mensæ cessit Equiti Austrio *Kinodio ab* Richersdorff/ quod solus sexaginta Turcas se insequentes occidisset. Proximus ei locus fuit *Friderici Marchionis Misniæ* ob prærogativam familiæ, quæ nunquam Ordinem Crucigerorum, etiam in summas redactum anxietates, deseruit, quin ipsum juvaret. Tertius erat Comes Scotus *Hildermidus* nomine, quod eo parente natus esset, qui ut Regem servaret, seipsum neci objecit. Tum *Rupertus Comes Wirtenbergiæ*, ob imperium Romanum, ad quod vocabatur, spretum. *Conradus* deinde *à Wallenrod*, structor istius convivii, ob sponsam ætate formâ ac genere florentissimam, (MS. habent ex Illustriss. Comitum ab Habspurg. unde Augustissima Austriæ Archiducum familia ortum suum traxit, stirpe natam) gratia Ordinis Teutonici repudiatam. Hunc secutus *Oegenhardus Vexillifer Westphaliæ*,

Epulæ Wallenrodianæ.

qui

qui adversariis, qui parentem suum occiderant per Beatissimam Virginem Mariam exoratus, indulsisset. Post hunc *Fridericus à Buchwald*, qui nihil unquam negasset ei, qui interposito divi Georgii nomine aliquid postulasset. Denique reliqui, pro merito quisque. Utensilia apponi fecit argentea & aurea, quæ convivis cedebant. Hôc veluti congiariô militari, rectâ animatis Ducibus, Conradus movit contra Magn. Duc. Lietvaniæ *Vitoudum*. A. Wijuk Kojałowiz part. 2. Hist. Lietv. l. 2. ad ann. 1394. Simon Grunov. tr. 13. c. 16. C. Hartknoch. in Dissert. 18. Th. Weisselus in Wallenrod.

Cæterùm Annales Prussici docent, Prussos olim prædâ solâ contentos fuisse ab hostibus partâ, quam tamen in partes tres dispertiverunt. Prima pars cessit *Diis* ipsorum, & erat ut plurimum Dux hostium captus, vel si plures summæ dignationis Viri captivos inter numerarentur, sorte ex iis unum aliquem eligebant, quem equo impositum, armisque consuetis, quibus contra Prussos usus fuerat indutum, in DEorum suorum honorem comburerent, de quo in Deliciis. Præter hoc sacrificium cessit Diis eorum, pars adhuc prædæ aliqua itidem comburenda. Altera pars prædæ dabatur Pontifici summo, *Krive* dicto, cum suis Flaminibus, qui lingua Prussica dicebantur *Weidulli, Weidulutti, Zijonotæ* &c. Tertia Victoribus. Dysburg part. 3. Chron. Pruss. c. 5.

Non tamen negamus Prussos post felicem militiæ finem, ac terras hostium occupatas nonnunquam certa quædam bona terrestria, quæ *allodia* vocare solemus, iis concessisse, quæ bellicis factis insignes extitêre. Et ea ipsa putamus esse illa bona, quæ ingenuis olim Prussis, *jure Soffavico* concedebantur, quo cautum erat, ut Domini horum bonorum non modò propriis impensis contra hostem militarent, sed & damna perpessi, nullam à Principe postularent damni refusionem. De quo Henneb. in Explicat. Tab. Pruss. in voce Soffaw.

§. VII.

De Pœnis, apud Gothos, militaribus.

Cùm juxta Cassiodorum lib. 12. Variar. c. 5. *exercitus disciplinâ armari* debeat, utique nihil priùs aut antiquius militum Duci sit necesse exactâ legum militarium observantiâ; ne rigor salutaris vincatur inani clementiæ specie, quandoquidem remissum ac clementiorem Ducem nec non patiuntur militares. Cavendum tamen, ne nimiùm in puniendo sit acerbus Dux militum. Exemplo sit *Lucullus*. Hic etsi artis militaris peritissimus, infidos tamen ad omnia milites habuit, & ab iisdem extremùm desertus est, quod multa imperaret, parum esset affabilis, acer inprimis in rerum gestarum rationibus reposcendis, inque suppliciis inexorabilis. Hos ipsos milites *Pompejus* sibi traditos, sic devinxerat, ut quamdiu sub signis ejus militabant, nunquam habuerit infidos aut seditiosos. Hæc Diod. in Vita Pompeii. Laudabiliores certè Duces sunt, quorum exercitus ad modestiam labor & usus instituit, quàm illi, quorum *milites ad obedientiam suppliciorum formido compellat*. Veget. lib. 9. c. 3. In hoc excellere ac præeminere præ

Dux militaris non sit nimis rigidus, neque remissus.

R cæteris

cæteris Principibus militaribus visi sunt *Theodoricus & Athalaricius* Gothorum Reges ac Principes, de quibus Cassiodorus, Sidonius, Procopius & alii. Præsertim Theodoricus, qui nunquam non milites in sedibus exerceri ac erudiri fecit, ut cùm ad expeditionem ex diversis convenissent locis, æmulatione virtutis, prælium magis optasse visi fuerint, quàm ocium. Quodsi extrema necessitas punitionem persuaserat, in auctores criminum vindicabatur plerumque, *ut ad omnes metus, ad paucos pœna perveniret.*

Pœnæ milit. Gothor. Cæterùm hæc de pœnis Gothorum nobis insinuat Tacitus l. de mor. Germ. *Licet*, inquit, *apud concilium accusare quoque, & discrimen capitis intendere. Distinctio pœnarum ex delicto: Proditores & transfugas arboribus suspendunt. Ignavos, & imbelles & corpore infames, cœno & palude, injectâ insuper crate, mergunt. Diversitas supplicii illuc respicit, tanquam scelera ostendi oporteat, dum puniuntur, flagitia abscondi. Sed & levioribus delictis pro modo pœnarum equorum pecorumque numero convicti mulctantur. Pars mulctæ Regi vel civitati: pars ipsi, qui vindicatur, vel propinquis ejus exsolvitur.*

Dacorum. Dacos, quos sæpè Auctores cum Gothis nostris confundunt, hoc habuisse supplicii, refert Alexander ab Alexan. lib. 2. Geniol. diar. c. 13. cùm malè pugnassent, ut cubantes capita loco pedum ponere, & ministeria uxoribus præstare cogerentur. *Sarmatarum.* Ex Chronicis Sarmatiæ patet, fuisse militibus adhuc alia pœnarum genera. Prussi & Lietvani Masovii &c. Ignavum & seditiosum canibus ursisque objiciebant dilaniandum. Sæpiùs noxium palo alligabant, & in eum tanquam in scopum reliqui Sagittas mittebant; Nonnunquam deflexis duarum arborum capitibus, iisdem pedes militis alligabant, inde arboribus demissis subitò, scissus ille miser utrinque pependit. Item bovem aperiebant, atque huic militem proditorem inserebant capite bovis exacto, ut sic computresceret. Nec minùs horrendum fuit supplicium & hoc, quod à Scythis vidit inflictum olim Opilius Maerinus Imper. Rom. militi excubias deserenti: Scilicet *carpento rotali superadnectebatur, & per totum iter vivus trahebatur & exanimis.*

Pœnas has, puto, prout Principi impotentia animi aut moderatio inerat, fuisse etiam asperatas, vel quoque mitigatas. Tempore Theodorici mitioris ingenii Principibus, milites, more Romanorum eorumque legibus sontes punitos probabile videtur, quorum pœna pro delictorum atrocitate vel levitate variabat. *Leviores Romanor. Pœnæ.* Leviores, & Leniores, ac ignominiosæ tantùm pœnæ erant hæ referente ac colligente Stewechio in Veget. lib. 3.

1. ,, *Stipendio privari.* Quam pœnam qui patiebantur, diceban-
,, tur *Aredituti.* Varro. lib. 2. de Vita populi Romani. *Stipendium,*
,, inquit, *appellatur, quod æs militi semestre, aut annuum dabatur, cui*
2. ,, *datum non sit propter ignominiam, ære dirutus est.* (2.) *Ad hastæ*
,, *dationem condemnari.* Festus: *Censio hastaria dicebatur, cùm militi*
,, *mulctæ nomine, ob delictum militare indicebatur, quod hastas daret.*
3. ,, (3.) *Tendendi locum mutare.* Livius lib. 25. *Illis arma tantum,*
,, *atque ordo militandi, locusque in quo tenderent, in castris est muta-*
4. ,, *tus.* (4.) *In Itinere cum impedimentis iter facere.* Ammian. lib. 25.

Adem-

„*Ademptis signis, hastisque diffractis, omnes eos, qui fugisse arguebantur, inter impedimenta & sarcinas & captivos agere iter imposuit.*
„(5.) *Extra Oppidum hibernare:* Livius lib. 35. *Additum etiam* 5.
„*utrorumque ignominiæ est, ne in oppidis hibernarent, neve hiberna*
„*propiùs ullam urbem decem millibus passuum ædificarent.* (6.) *Ex-* 6.
„*tra Castra hibernare* Valerius Maximus l. 2. c 7. *Decreverunt, ne quis*
„*eorum intra castra tenderet, neve locum extra adsignatum, vallo aut*
„*fossâ cingeret, neve tentorium ex pellibus haberet.* (7.) *Cibum stan-* 7.
„*tem capere.* Livius lib. 34. *Nomina eorum, qui detrectatæ pugnæ me-*
„*mores, secessionem paulò ante fecerunt, referri ad me jubebo, citatosquè*
„*singulos jurejurando adigam, nisi quibus morbus causa erit, non aliter,* 8.
„*quàm stantes cibum potumque, quoad stipendia facient, capturos esse.*
„(8.) *Fossam fodere,* nimirum *tunicis interioribus solutis, fossam fodere,* 9.
„inspectante reliquo exercitu cogebantur. Plutarch. in Lucullo. (9.)
„*Stipendia prorogari.* Livius lib. 33. *Mitterentur,* inquit, *in Sicili-*
„*am ad Cannensis exercitus reliquias, cui militum generi non priùs,*
„*quàm pulsus Italiæ hostis esset, finitum stipendiorum tempus erat.* I-
„dem lib. 35. *Decretum supplementum de exercitu Cn. Fulvii, qui*
„*priore anno in Apulia fœdè cæsus fugatusque erat. Huic generi mi-*
„*litum Senatus eundem, quem Cannensibus finem statuerat militiæ.* 10.
„(10.) *Discinctos destitui.* Livius lib. 27. *Centuriones manipulorum,*
„*quorum signa amissa fuerant, districtis gladiis discinctos destitui.* Si-
„milia habet *Svetonius* in Augusto: *Centuriones statione deserta, iti-*
„*dem & manipulares capitali animadversione punivit, pro cetero deli-*
„*ctorum genere, variis ignominiis affecit, ut stare per totum diem jube-*
„*ret ante prætorium; interdum tunicatos discinctosque, nonnunquam*
„*cum decempedis, vel etiam cespitem portantes.* Similiter Celpurnius
„Piso, apud Valerium Max. l. 2. c. 7. punit C. Titium præfectum e-
„quitum, quod ab hostibus circumventus arma tradidisset, *Jussit eum*
„*Toga,* inquit, *laciniis abscissis amictum decinctaque tunica indutum,*
„*nudis pedibus à mane in noctem usque, ad principia, per omne tem-* 11.
„*pus militiæ adesse.* (11.) *Hordeo pasci.* Livius lib. 37. *Cohortibus,*
„*quæ signum amiserant, hordeum dari jussit.* Appianus de Cæsare
„lib. de bellis Illyricis: *Reliquos ea æstate, hordeo frumenti vice, ci-* 12.
„*bari jussit.* (12.) *Sanguinem mitti.* A. Gell. lib. 10. *Fuit hæc quoquè*
„*antiquitùs militaris animadversio, jubere ignominiæ causâ militi ve-*
„*nam solvi & sanguinem emitti.* Conf. Front. lib. 4. Stratagem. c. 1. 13.
„(13.) *Mulcta pecuniaria.* Modestinus in L. Desertorem ff. de re mi-
„litar. ita ait: *Pœnæ militum hujusmodi sunt, castigatio, pecuniaria*
„*mulcta, munerum indictio, militiæ mutatio, gradus dejectio, ignomio-*
„*sa missio: nam in metallum, aut in opus metalli non dabuntur, nec* 14.
„*torquentur.* (14.) *Militiæ mutatio.* Valerius Max. l. 2. c. 7. *Tur-*
„*mas,* ait, *equitum, quibus præfuerat, ademptis equis, in funditorum*
„*alas transcripsit, quod arma hostibus tradidissent.* --- *Decreve-*
„*runt, ut ex iis, quos equo numerant peditum numero militarent.* Et
„Ammianus. *Reliquos ex ea cohorte ad pedestrem coegit militiam, quæ* 15.
„*onerosior est.* (15.) *à Castris segregari.* Scilicet illi ad castella, ad ur-

„ bes muniendas, servandasque amandabantur. *Custodia* enim *castro-*
16. „ *rum non honoris, sed oneris existimabatur.* Teste Cicerone. (16.)
Graviores militum pœnæ. „ *Ignominiâ mitti.* Modestinus c. l. Graviores militum pœnæ fuerunt
„ hæ; (1.) *Virgis cædi.* De quo Valerius M. lib. 2. c. 7. *C. Cotta P.*
1. „ *Aurelium Pecuniolam sanguine sibi junctum virgis cæsum, gregalis*
„ *militiæ munere inter pedites fungi coegit: quod ejus culpâ ager incen-*
2. „ *sus, & penè castra fuerant capta.* Front. lib. stratagem. c. 1. (2.)
„ *Vite verberari.* Macer. in L. Milites. ff. de re militari: *Eum qui*
„ *Centurioni castigare se volenti restiterit, veteres notaverunt, si vi-*
„ *tam tenuit, militiam mutat; si* ex *industria fregit, vel manum cen-*
„ *turioni intulit, capite punitur.* Eô alludit Juvenalis Satyr. 6.

„ *Nodosam post hæc frangebat vertice vitem,*
„ *Si lentus pigrâ muniret castra dolabrâ.*

„ Cornelius Tac. lib. 1. Annal. *Centurio Lucillius interficitur, cui mi-*
„ *litaribus facetiis vocabulum, Cedo alteram, indiderant; quia fra-*
„ *cta vite in tergo militis, alteram clara voce, & rursus aliam posce-*
„ *bat.* Plinius lib. 14. c. 1. quoque hujus rei meminit: *Centurionum,*
„ inquit, *in manu vitis; & opimo pretio tardos ordines ad lentas perducit*
„ *aquilas: atque etiam in delictis pœnam ipsam honorat. Nec non*
3. „ *vineæ oppugnationum dedêre rationem. &c.* (3.) *Linguæ abscissio.*
„ Proditoribus hæc irrogata est pœna; præsertim apud Ægyptios. Vid.
4. „ Diod. Sicul. lib. 2. c. 3. (4.) *Manuum amputatio.* Frontinus lib. 4.
„ stratag. *M. Cato Memoriæ prodidit, in furto comprehensis, inter*
„ *commilitones, dextras esse præcisas, aut si lentiùs animadvertere*
„ *voluissent in Principes, sanguine missum.* Ammianus lib. 29. *Sa*
„ *gittariorum verò primoribus, manus incidit.* Livius lib. 35. *Cum*
„ *transfugis novis mulctati* (alii legunt mulcati) *virgis, manibusque*
5. „ *præcisis, Capuam rediguntur.* (5.) *Crurum exsectio.* Ammian. lib.
„ 23. *Signa propria quisque sequatur sciens, quod si remanserit us-*
6. „ *quam, exsectis cruribus relinquetur.* (6.) *In Servitutem adactio.*
„ Alexander Severus Imperat. cum aniculam quandam à milite inju-
„ riâ affectam audisset, exauctoratum eum militiâ, servum ei dedit,
7. „ ut suo illam labore pasceret. Lampridius. (7.) *In Exilium mitti.*
„ Ammian. lib. 22. *Romanus quin etiam & Vincentius Scutariorum*
„ *Scholæ primæ, secundæque tribuni, agitasse convicti quædam suis vi-*
8. „ *ribus altiora, acti in exilium.* (8.) *Vænire.* Livius lib. 55. (*Mat-*
„ *tienus accusatus est, apud tribunos plebis, quod exercitum in Hispa-*
„ *nia deseruisset: damnatusque, sub furcâ diu cæsus est, & Sestertio*
„ *nummo væniit.* Iterùm lib. 4. *Qui miles ad exercitum non redisset,*
9. „ *eum ipsum, bonaque ejus vendere Consul jussit.* (9.) *Fuste verbe-*
„ *rari.* Sic teste Livio lib. 58. quem militem extra ordinem reprehen-
„ disset. *Si Romanus erat, vitibus: Si extraneus, fustibus cædere jus-*
„ *sit.* Huc spectat impia impii Valentis Imperat. lex, quâ jussit, ut
„ monachi militarent, nolentes autem per tribunos & milites fustibus
10. „ interficerentur. D. Diac. lib. 12. Hist. Euseb. in Chron. (10.) *Securi*
„ *percuti.* Livius lib. 2. *Centuriones duplicariosque, qui reliquerant or-*
dines,

„*dines, virgis cæsos securi percussit.* (11.) *Decimatio*, cujus auctor 11.
„creditur *Appius Claudius* apud Livium lib. 2. Polyb. l. 6. Fiebat au-
„tem decimatio *adhibita sorte*: Ita Tacitus lib. 3. Annal. *Decimum*
„*quemque ignominiosæ cohortis sorte ductos fuisse necat.* Ante hunc Li-
„vius lib. 2. *Cætera multitudo decimus quisque ad supplicium lecti.*
„Idem lib. 38. de seditioso exercitu apud Sucronem. *Præconis*, inquit,
„*audita vox citantis nomina damnatorum in consilio; nudi in medium*
„*protrahebantur, & simul omnis apparatus supplicii expromebatur.*
„*Deligati ad palum, virgisque cæsi & securi percussi.* Suetonius in Ca-
„ligula. *Inhiberi nullo potuit modo, quin decimare velle perseveraret:*
„*vocatosque itaque ad concionem inermes, atque etiam gladiis disposi-*
„*tis equitatu armato circumsedit.* Causæ hujus decimacionis institutæ
„fuit hæc: ut unde culpa esset, ibi poena consisteret, ad multitudi-
„nem castigationem satis esse. Cæterùm Cæsar negligentiam Senato-
„rum, qui in Senatum rariùs venirent, sorte quoque castigavit. Cùm
„enim nimis multi essent, jussit inter eos sortes duci, & *quintum quem-*
„*que* puniri Dione teste, in Augusto. Huc referri potest *Centesi-* *Centesimatio*
„*matio.* Quâ punivit seditiones militares Imp. *Macrinus*, teste Julio Ca-
„pitolino. Isque se clementem dicebat, quod centesimaret, qui vi-
„gesimatione & decimatione digni essent. (12.) *Ad bestias damnari.* 12.
„Modestinus Juris-Conf. leg. desertorem ff. de re militari. *Is qui ad*
„*hostem confugit, & rediit, torquebitur, ad bestiasque vel in furcam*
„*damnabitur, quamvis milites nihil eorum patiantur.* Conf. Valerius
„M. lib. 2. c. 7. Livius lib. 2. (13.) *Capitis pœna.* Hæc pœna multis 13.
„de causis Militibus irrogata est, prout videre est, ex legibus milita-
„ribus Ruffi, quas §. sequenti lectori benevolo communicabimus. Ad-
„hibita est post capitalem animadversionem. (14.) *Sepulturæ pri-* 14.
„*vatio.* Valerius Max. lib. 2. c. 7. *Virgis cæsos securi percuti jussit, eo-*
„*rumque corpora sepulturæ mandari, mortemque lugeri vetuit.* (15.) 15.
„*Legionariorum gladiis concidi.* Tacitus l. 1. Annal. *Stabant*, inquit,
„*pro concione legiones districtis gladiis, reus in suggestu per Tribunum*
„*ostendebatur; si nocentem acclamaverant, præceps datus trucidaba-*
„*tur: & gaudebat cædibus miles, tanquam semet absolveret.* Ælius
„Lampridius in Commodo Antonino: *Hostis appellatus lacerandus-*
„*que militibus est deductus:* Priscum hunc morem fuisse testatur Am-
„mian. lib. 29. *Quid*, inquit Ammianus, *de istis nefariis proditori-*
„*bus fieri oportere contubernales devoti censetis? Senatusque acclama-*
„*tionem rogantium sanguine vindicari; eos qui inter Constantianos*
„*merebant, prisco more militibus dedit occidendos.* (16.) *Vivos com-* 16.
„*buri.* Ammianus lib. 29. *Desertoribus paucis exustis, aliisque ad*
„*sagittariorum exemplum, quibus manus ademptæ sunt, contruncatis.*
„Pœna hæc manebat proditoribus, hostibus quique quædam perscri-
„psissent, ut & qui barbaris facultatem prædandi dedissent, vel præ-
„dam cum iis divisissent. (7.) *Fumo necari.* Hoc *Ovidius Cassius* Imp. 17.
„invenit, ut stipite centum & ampliùs pedum erecto damnatos ab i-
„mo ad summum alligaret. Inde inferioribus ignem admoveret; at-
„que ita alios incendio, alios fumo, alios denique timore enecaret.

18. „Cujus rei testimonium est apud Vulcatium. *(18.) Sub crate necari.* Tacitus de more German. Distinctio pœnarum ex delicto proditores & profugas arboribus suspendunt; ignavos & imbelles, & corpore infames cœno ac palude *injecta insuper crate mergunt.* Livius lib. 4. *Ad vociferationem eorum, quos sub crate necari jusserat, concursu facto.* Id genus puniendi scitè expressit Plautus, Pœnulo.

„ Sc. *Ain tu.*
„ AG. *Quid ait, aut orat? expedi.*
„ Mi. *Sub cratim uti jubeas sese supponi, atque eò*
„ *Lapides imponi multos, ut sese neces.*

19. „(19) *Lapidibus obrui.* Sic Posthumius inficians, quas promiserat prædas, ab exercitu, in castris seditione facta, lapidatus est. Conf. Flor. l. 1. c. 22. Liv. lib. 4. Eodem genere pœnæ animadversum fuit in milites, qui in mortem Alexandri M. conspirârunt. *Omnes ergò,* inquit Curtius lib. 5. *à Nicomacho nominati, more patrio, dato signo,*
20. „*saxis obruti sunt.* *(20.) Sagittis eminùs configi.* De hac pœna Pau-
21. „lus Diac. lib. 17. Historiar. Olim (21.) *in Crucem tollebantur.* De quo Livius lib. 30. *Nominis latini qui erant, securi percussi; Ro-*
22. „*mani in crucem sublati sunt.* Conf. Valer. Max. l. 2. c. 7. *(22.) Seipsum occidere.* Hoc pœnæ genus irrogavit Vitondus Magnus Dux Lietvaniæ militibus, qui ædes sacras spoliârunt. De quo Wijuk Kojał. part. 2. lib. 1. Hic notandum, antequam capitaliter animadverteretur, in usu fuisse, *classicum priùs canere.* De quo Vegetius lib. 2. c. 22. testatur quoque Varro lib. 4. de Lingua Latina: *In P. Martium* inquit, *Consules extra portam Exquilinam, cùm classicum canere jussissent, more prisco advertêre.*

§. VIII.
Leges Militares.

Leges Militares.

CUm in præcedente § mentio Legum militarium facta fuerit, haud incongruum ducimus, eas hic adjungere. Quæ tempore Theodorici Regis Gothorum, cùm in Italia regnavit, in usu ibidem fuisse creduntur. Has olim Ruffus Græcus collegit, nobis autem interprete Joanne Leunclavio Amelburno communicatas, Benevolo Lectori sistimus.

De militibus ex quacunque causa militiam amittentibus.

„ 1. Deportatus in Insulam, si pœnam effugiens operam dedit ipse, ut militiæ adscriberetur; vel deportatum se dissimulans, inter milites legi sustinuit: capite punitur. Ad tempus autem relegatus, siquidem ipse sponte sua militiæ nomen dederit, in Insulam deportatur: sin re dissimulatâ, se militiæ adscribi passus fuerit, perpetuò relegatur. Si verò quis ad tempus relegatus, & fugâ declinato supplicio, postquam exilii tempus expletum fuerit, militiæ se dederit: ex qua causa damnatus sit exilio, quærimus; ac si quidem ea perpetuam irrogat infamiam, idem observamus.

2. Qui

2. Qui cum infamia, ex quacunque causâ, missi sunt: nullum honorem obtinere vel gerere possunt.

3. Adulterii vel aliô crimine publicô damnati, non admittuntur, si militare velint.

4. Si miles cum adultero uxoris suæ pactus fuerit, exauctoratur, & proscribitur.

5. Damnatus suppliciô capitali vel exiliô, vel aliô crimine publicô; tametsi supplicium effugere potuerit, nunquam tamen militare potest.

Quod milites non fiant procuratores, aut conductores.

6. Milites neque procuratores, neque conductores, neque fidejussores, sive mandatores alienorum negotiorum fiunt.

Quod milites mercaturæ vel curationibus vacare non debeant.

7. Milites nec agriculturæ vacent, aut mercaturæ, nec civilem in se curationem recipiant: alioquin militiam, & militaria privilegia amittunt.

8. *Miles ubi militat, prædium non emit; nisi paternum à fisco.*

De Eo, qui peccat in Principem.

9. Qui peccat in Principem, gladio feritur, & proscribitur; & memoria ejus post mortem damnatur.

De militibus Conjurationem vel factionem adversùs Præsides suos molientibus.

10. Si qui conjurationem aut factionem aut seditionem moliri adversùs Præsidem suum ausi fuerint, quacunque de causa; capitali supplicio subjicientur, præsertim ii, qui capita & auctores conjurationis aut seditionis exstiterint.

De militibus, qui Præsidibus suis non obtemperant, sed eis adversantur.

11. Si miles Quincurioni suo non paruerit, sed adversando restiterit; castigatur. Similiter & Quincurio, si Decurioni suo non obedierit: & Decurio, si non paruerit suo Centurioni. Si verò legionarius quispiam resistere Præsidi suo majori, hoc est, Comiti, vel tribuno fuerit ausus, extremo supplicio subjicitur. Omnis enim contumacia militis adversùs Ducem vel Præsidem capitale supplicium irrogat.

De militibus mandatum Præsidis non observantibus.

12. Si quis audito Decurionis sui mandato, id non observaverit, castigatur: Si verò mandata ignorans, lapsus sit; Decurio castigatur, quod eum non præmonuerit.

De militibus, qui â Præsidibus vel aliis læduntur.

13. Si miles ab aliquo læsus fuerit, ad Præsidem legionis querela deferatur. Quod si ab ipso Præside injuriâ fuerit affectus, eo nomine Præsidem majorem adeat.

De milite, qui Præposito suo manus intulit.

14. Si quis militum Præposito suo manus intulerit, capite punitur.

De milite, qui Præſidi ſuo reſiſtit.

15. Si miles Præſidi ſuo, verberare volenti reſtiterit; ſiquidem Virgam duntaxat tenuit, militiâ pellitur; ſin eum ex induſtria fregit, aut Præſidi manus intulit, capite punitur.

De militibus ſeditionem vel tumultum concitantibus.

16. Si quis atrocem militum ſeditionem concitaverit, capite punitur. Sin autem usque ad vociferationem duntaxat tumultum militarem moverit, aut ſi intra nudam querelam adversùs aliquos excitata ſeditio fuerit: tunc gradu militiæ dejicitur. Et cùm multi milites ſimul in aliquod flagitium conſpiraverint, vel, ſi legio defecerit, exauctorari ſolent.

De milite duntaxat usque ad vociferationem excitante tumultum militarem.

17. Si quis usque ad vociferationem duntaxat tumultum militarem excitaverit, vel ſi plures in hoc conſpiraverint, acriter cæſi militiâ pelluntur. Sin quis atrocem militum ſeditionem accenderit, caput ei præciditur.

De Pacis perturbatore.

18. Miles pacis perturbator, capite punitur.

19. Seditionum Auctores, & qui populum concitant, pro meriti ſui qualitate vel gladio feriuntur vel relegantur.

20. Si quis cum militibus, aut privatis, aut barbaris inita conjuratione, Senatorium vel militem quendam occiderit; læſæ Majeſtatis damnator, & capitale ſupplicium ſuſtineto, facultatibus ejus publicatis.

De militibus aut collatoribus ab aliquibus damno affectis.

21. Si quis militem vel collatorem damno affecerit, in dupla qualitate damnum hoc paſſo reſtituet. Sin qualiscunque Præſes aut miles in hibernis, vel in tranſitu, vel in ſedetis (caſtris) militem vel collatorem damno adfecerit, nec ei damnum, ſeu decet, reſarciverit; in dupla quantitate rem ipſam damnum paſſo reſtituet.

De milite, qui commilitonem ſuum vulneravit.

22. Miles, qui commilitonem ſuum gladio vulnerat, caput amittit.

De milite, qui vel ſeipſum vel commilitonem ſuum vulneravit.

23. Qui lapide commilitonem vulneravit, aut ex induſtria ſeipſum, niſi fugiens corporis dolorem aut morbum aut mortem hoc in ſe admiſerit, verberatus militiâ rejicitur.

24. Si miles ſeipſum vulneraverit, vel alio quo modo mortem ſibi conſciverit; ſiquidem corporis dolorem ſentiebat, vel morbo vel furore adductus id fecit, adeoque præ pudore mori maluit: capitis ſupplicium ſanè non patitur, ſed cum ignominia mittitur. Si verò nihil tale prætendebat, quoniam ſeipſum occidere conatus eſt, capite punitur.

De

De militibus tempore pugnæ fugientibus & ordines perturbantibus.

25. Si miles aciei ſtructæ vel pugnæ tempore ſtationem vel bandum (ſignum militare) ſuum reliquerit vel fugerit; aut ex loco, quo conſtitutus erat, proſilierit, & cadaver ſpoliaverit; aut ad perſequendum hoſtem temerè procurrerit: eum capite puniri jubemus, & omnia, quæ ab ipſo, ceu vero eſt ſimile, ſublata fuerint, auferri; & communitati legionis dari: cùm aciei ordinem ipſe diſſolverit, & hoc modo ſociis ſuis inſidias paraverit.

De militibus tempore pugnæ publicæ absque cauſa in fugam verſis.

26. Si prælii publici vel pugnæ tempore fuga facta fuerit absque juſta quadam & evidenti cauſa; jubemus, ut milites illius legionis, quæ prima fugit, & ſtatione ſua, pro parte ſua ſcilicet, quotquot ad pugnam ordinati fuêre, decimentur; & â reliquis legionibus jaculis configantur: ut qui ordinem aciei diſſolverint, & auctores fugæ Cœterorum exſtiterint. Si verò quosdam ex ipſis in pugna, ceu credibile eſt, ſauciari contigerit: hos ejusmodi criminis expertes eſſe jubemus.

De Bando ab hoſtibus capto.

27. Si Bandum ab hoſtibus, absque juſta cauſa quadam & manifeſta, fuerit interceptum: jubemus, ut ii, quibus cuſtodia bandi concredita fuit, caſtigentur; & ultimi fiant inter eos, qui ipſis ſubjiciebantur, hoc eſt, in iis ſcholis, ad quas referuntur. Si verò quosdam ex ipſis pugnantes ſauciari contigerit, hi ab ejusmodi pœna ſerventur immunes.

De fugâ partis aut totius aciei, quæ foſſato fit adhuc integro.

28. Si foſſato adhuc integro, fugâ partis vel aciei totius reciderit, & milites in fugam acti, nec ad defenſores concurrerint, nec ad ipſum foſſatum ſeſe receperint, ſed id negligentes alium in locum abierint: jubemus, ut hoc facere audentes puniantur, veluti qui & Sociorum rationem non habuerint, & conſternationi auctores exſtiterint.

De milite Arma ſua tempore pugnæ abjiciente.

29. Si miles tempore pugnæ Arma ſua abjecerit, puniri eum jubemus, veluti qui & ſeipſum nudârit & hoſtes armârit.

De milite in bello rem prohibitam faciente.

30. Si quis in bello rem ſibi prohibitam à Duce ſuo fecerit vel ab eo ſibi mandata non impleverit, capite punitor, etiamſi rem benè geſſerit.

De milite, qui de ſtatione ſua in pugna exceſſerit.

31. Qui primus in acie fugit in conſpectu militum, capite punitur.

32. Qui de ſtatione ſua in pugna exceſſerit, aut fuſtibus cæditur, aut militiam ſuam mutat.

Si quis vallum ſibi aſſignatum exceſſerit.

33. Si quis vallum ſibi aſſignatum exceſſerit, aut per murum ca-

ſtra fuerit ingreſſus; pœnâ capitis afficitur. Si verò Foſſam caſtrorum tranſiliat, militiam amittit.

34. Miles qui militiam ſuam deſerit, aut flagris cæditur, aut militiâ ſuâ movetur.

De militibus Præpoſitum ſuum deſerentibus.

35. Si milites Præpoſitum ſuum deſeruerint, vel ab hoſtibus comprehendi permiſerint; nec cùm ſervare poſſent, protexerint; atque hinc eum mori contigerit: capite puniuntur.

De militibus caſtra vel urbem prodentibus, aut cuſtodiam negligentibus.

36. Si quis, cui cuſtodia vel urbis vel caſtrorum credita fuerit, & prodiderit; aut cùm ea defendere poſſet, præter voluntatem Præſidis ſui, vel extra neceſſitatem ad vitæ periculum tendentem, inde receſſerit: Capitis ſupplicio damnabitur.

De militibus deſtinatis ad palatii Cuſtodiam.

37. Deſtinatus ad cuſtodiam palatii, ſi excubias in eo faciendas deſeruerit; ultimo ſupplicio afficitur, aut ſi quid humanitatis impetret, verberatus militiâ ejicitur.

De *militibus perſonas cuſtodientibus & per negligentiam eas amittentibus.*

38. Si qui perſonas cuſtodientes, per negligentiam eas amiſerint; aut verberantur, aut pro modo delicti militiam ſuam amittere debent. Quod ſi miſeratione perſonas dimiſerint, militiâ rejiciuntur. Si fraude, capite puniuntur vel in extremum gradum militiæ ſuæ detruduntur.

De eo, *qui carcerem effregit & fugit.*

39. Milites, qui ex cuſtodia fugerint, ſiquidem ruptis vinculis, aut parte carceris laxata, vel alio dolo contra cuſtodes adhibito, fugam ejusmodi parârint; capite puniuntur. Sin autem illorum negligentiâ, quibus cuſtodia credita fuit, evaſerint; mitiùs puniuntur.

40. Militi, qui puellæ vim attulerit, & ſtupraverit eam, nares abſcinduntur; datâ puellæ militis tertiâ facultatum parte.

41. Qui furantur in foſſato, ſiquidem arma ſubtraxerint, acriter verberantur, aut duriter ac magna vi flagellantur. Sin jumenta furati fuerint, manus ei abſcinduntur; quia jumenta magìs neceſſaria ſunt, quàm arma. Nam hæc duntaxat ad pugnam, illa verò quovis tempore ſunt utilia.

42. Miles, qui quocunque loco, quamcunque ſpeciem furatur, & duplum præſtat, & militiâ rejicitur.

43. Si quis jumentum aliamve ſpeciem, parvam aut magnam, invenerit; eamque non manifeſtaverit, & Præſidi ſuo tradiderit, tam ipſe veluti fur, quàm conſcii, qui rem celaverunt, caſtigator.

44. Miles arma aliena ſurripiens, militiæ gradu detruditur.

De *militibus, qui in vino & ebrietate labuntur atque peccant.*

45. Militibus, qui in vino & ebrietate, vel ex alia quadam laſcivia

ſcivia labuntur & peccant, capitis quidem pœna remittitur; ſed militiæ mutatio irrogatur.

46. Annonam exercitui miſſam nemo comparare poteſt. Qui comparaverit, ſi honeſtus & in dignitate conſtitutus eſt, proſcribitur, ſin humilis, capite punitur.

De Præpoſitis pecuniam à prædiis extorquentibus.

47. Præpoſiti, & qui quocunque modo Conſervatores ſunt exercitûs, ſi pecuniam à prædiis extorſerint; in duplum condemnantur.

48. Major militis defuncti filius in locum patris ſui ſuccedit, & easdem annonas accipit.

De milite hoſtes laceſſente vel Chriſtianum prodente.

49. Qui hoſtes laceſſit, aut civem Romanum hoſtibus prodit, extremo ſupplicio obnoxius eſt.

De eo, qui militiam detrectaverit.

50. Quisquis militiam detrectaverit, militariter punitur. Nam grave delictum eſt, militiæ munera detrectare. Qui enim vocantur, ut militent, atque aufugiunt; tanquam propriæ libertatis proditores in ſervitutem rediguntur.

Si quis filium ſuum belli tempore ſubtraxerit militiæ.

51. Si quis filium ſuum belli tempore ſubtraxerit militiæ, & relegatur, & parte patrimonii ſui publicata mulctatur. Si quis autem filium ſuum belli tempore debilitârit, ut inhabilis ad militiam inveniatur, in exilium mittitur.

De *milite, qui hoſtium metu corporis Languorem ſimulat.*

52. Quicunque metu hoſtium Languorem corporis ſimulaverit, capite punitor.

De Exploratoribus, ſi hoſtibus Secreta Romanorum concilia nunciaverint.

53. Si Exploratores Romani exercitus hoſtibus Secreta Romanorum Concilia nunciaverint, capite puniuntur.

De militibus hinc inde vagantibus.

54. Si quis vagari fuerit auſus ultra diem commeatus, & militiâ rejicietur, & ut paganus civilibus magiſtratibus tradetur.

De militibus, qui tempore belli ab aliquibus dimittuntur.

55. Si quis belli tempore militem dimittere cum commeatu fuerit auſus, triginta ſolidorum pœnam præſtet. Quo verò tempore miles in hibernis agit, duorum aut trium menſium commeatum habeat. Pacis autem tempore, pro diſtantia provinciæ commeatus militi conceduntor.

Si bello imminente miles vagatus fuerit, aut à fossato recesserit.

56. Si miles bellum instare sciens, vagatus fuerit vel à fossato recesserit, vel primus in acie fugerit in conspectu militum, vel arma sua perdiderit, aut vendiderit; capitis supplicio mulctatur. Sin humaniorem sententiam obtinuerit, verberatus militiam mutat.

De militibus ad Barbaros transfugientibus.

57. Si quis inito consilio transfugiendi ad Barbaros, comprehensus fuerit; etiam ipse capite punitur.

58. Profugus tempore belli, capite punitur: tempore verò pacis, si eques sit, gradum mutat; si pedes, militiâ rejicitur.

59. Qui ad barbaros proficiscitur, aut ipsis occasione legationis venientibus, arma vel laborata vel illaborata vendit, aut qualecunque ferrum; ultimo supplicio obnoxius est.

60. Transfugæ, & qui consilia nostra hostibus nunciant: comburuntur, aut furcâ suspenduntur.

61. Eos qui ex partibus Romanis ad hostes aufugiunt impunè licet, ut hostes occidere.

62. Si quis convictus fuerit semetipsum hostibus dedere voluisse, ultimo supplicio subjicietur: nec ipse duntaxat, sed & facti conscii, qui id reticuerint.

63. Qui ad hostes aufugit & rediit; torquetur, & vel ad bestias datur, vel ad furcam condemnatur.

64. Servus qui ab hostibus capitur, & ita revertitur, ut rupturas membrorum, quas ab eis pro Republica passus est, ostendat, statim liber esto. Qui verò absque ruptura revertitur, ad quinquennium suo Domino serviat. Qui denique sponte transfugerit & reversus fuerit; ad totum vitæ tempus servus esto.

65. Homo liber ab hostibus redemptus, & laribus suis restitutus, si ad præstandum pretium, de quo convenit, locuples est; liber dimittatur. Sin est inops, apud emptorem mercenarius sit, donec impleta fuerint, quæ pactus erat.

CAPUT V.

De Officiis Militaribus Gothorum.

§. I.

De Principibus rei militaris Gothicis.

Principes rei militaris quoque habuerunt Gothi; quibus tamen, teste Tacito c. l. *Insignis nobilitas, aut magna patrum merita, Principis dignitatem etiam adolescentulis assignârunt. Cæteris robustioribus, & jam pridem probatis aggregabantur, nec rubor erat inter comites aspici.* Erant autem apud ipsos Principes varii ac inter se distincti. Præcipui potissimùm erant *Principes*, qui quoque

quoque Regum nomine apud Auctores veniunt. Tum *Campiduces*, denique horum *Comites*.

Principes diſtinguebantur à *Campiducibus*. Docet id Tacitus l. de mor. Ger. *Reges*, inquit, *ex nobilitate: Duces ex Virtute ſumunt.* Hæreditarios, ut vocant, Reges & Principes, cùm libertatis ſemper fuerit hæc natio amans ac tenaciſſima, vix legimus habuiſſe. Quanquam generoſitas gentis hujus ſobolem Regiam non facilè à Majeſtate Regia excluſerit, prout patet ex *Toriſmundo*, *Valaniro*, *Ermaarico*, *Hunimundo* Regibus Gothorum ad Viſtulam & in Dacia. De quo legendus Lazus de migrat. Gent. lib. 10. Salvâ tamen ſemper liberâ eorum electione, quam non facilè, niſi mortuo vel abdicato vel remoto Rege adornabant. Principis autem ſeu Regis nomine qui venit, aciem communiter ipſemet, prout Campi-Dux inſtruebat, ut ex Theodorico Vitige & aliis Gothorum Regibus patet. Teſtante id Procopio lib. *I*. Hiſt. Goth. Adeò Gothi habuerunt & Reges & Campiduces, qui ſæpiùs Auctoritate Regiâ militiam bellumque gerebant. Comprobatur id inſuper exemplo *Catvaldæ* apud Tacitum, qui priùs Campi-Dux fuit. Poſt deturbato *Maroboduo* Rege Gothorum & Marcomannorum factus eſt Rex Marcomannorum & Gothorum.

Hîc obiter notamus, *nomen Catvaldæ* nobis omninò videri origine Gothicum, denotareque Gubernatorem rerum Gothicarum, ſive familias, ſive militiæ, adeoque & ſignificare Campiducem. Scilicet *Waldus* lingua Gotho-Pruſſica veteri eſt *Gubernator*, *Gothus*, pro quo pro dialectis diverſarum nationum etiam *Gathas*, item *Gatas*, item *Catas* denotat, res quæ ad ſubſiſtentiam ſtatus alicujus, ſive ſit œconomica, ſive bellica, ſpectat.

In antiquiſſima Gothorum ſede Pruſſia ſcil. ſolenne fuit, ſummos habere Principes & penes hos Campiduces. Supremus Princeps dictus olim eſt *Waidevutis*, quaſi litium diremptor; poſt aſſumpſit nomen *Kryve*, cui obedire non modò omnes in Pruſſia Provinciæ, ſed & Livonia, Lietvania, Ruſſiæ magna Pars, Maſoviæ &c. neceſſe habuerunt, Dysburg in Chronic. Pruſſ. part. 3. Præter has quælibet provincia ſuos habuit Campiduces: imò ſæpiùs majora provinciarum harum territoria. Ut de ſolâ commemorem Pruſſiâ Seculo XIII. in rebellione Pruſſorum contra Teutonicum Ordinem habuit Culmenſis Provincia *Pipinum*, Varmienſis *Piopſin*, Sudovienſis *Skomandum*, Bartenſis *Wrinpinum*, Natangienſis *Monte*, Sambienſis *Bulco* &c. Nonnunquam, ſibi creârunt, qui ſingulis Provinciarum Gubernatoribus præerant, quaſi Generaliſſimi ut ajunt. Inter quos celebriores ſunt *Principes Rugiæ & Pomeraniæ*, & hos inter eminuit *Swentopolcus* terror olim Maſoviorum & Teutonicorum. Hi Principes ac Campi-Duces Pruſſis Gothica lingua olim communi vocabulo dicebantur *Kunigai*, fortè à primo horum & Lietvanorum Principe *Kunas*, de quo Okolski in Orbe Polon. Cæterùm Vox *Kuniges* denotat propriè *Magnatem*, ſeu *Dominum* in ſublimi quodam officio conſtitutum, præcipuè virum ſacerdotali ſeu pontificali eminentem honore. Quare adhuc in Nadravia, Zalavonia, Sacerdotes, majoresque Princi-

pis Electoris Officiales hoc nomine appellantur. Hoc sensu Lietvaniæ Princeps olim audiit Kunigas Lietuninkiû, quo nomine quoque *Vladislaus Jagello*, Magnus Dux Lietvaniæ, postea factus Rex Poloniarum indigitatus fuit. Hoc nomen Poloni plerumque efferunt, nomine *Xiadz*, quod Sacerdotem significat. Ita legimus sæpiùs in statutis & Privilegiis Polonis Jagellonem ejusque Successores sic appellatos fuisse. *Wielki Xiadz Lietewski*, id est *Magnus Sacerdos Lietvaniæ*. Videatur Joann. Janukovius in statutis Regni Poloniæ fol. 824. 818. 800. 978. 761. Causa hujus appellationis videtur esse, quod supremus Gothorum in Sarmatia Princeps plerumque fuerit & Princeps & Pontifex sensu nonneminis Amicorum. Ab hoc vocabulo Kunigas videtur descendere illud Teutonicum, *Konius*, per quod intelligunt Teutones Regem; supremi quippe Germanorum Principes dicti sunt **Könige**/ quasi Kunige. Ex quo elicere vult Amicus Germanorum antiquam linguam fuisse eandem antiquam Gothicam, quæ cum veteri Prussica unius radicis & essentiæ est.

§. II.

De Electione horum Principum.

Principes Gothorum eligebantur.

PRincipes hi Gothorum *eligebantur*: prout eorum virtus nota cunctis fuerat, & sic à *multitudine* designabantur exspes omnis juris successionis hæredum. Intelligimus hìc non multitudinem plebis, sed nobilium & equitum; quippe plebs Servorum loco habebatur in quos domini & vitæ & necis habuerunt dominium. Ea fuit consuetudo Gothorum Cis-Rhenanorum Gothorum, quos Tacitus more suo Germanos vocat, ubi armatum multitudinis conatum indicabant, quo lege communi omnes puberes armati convenire debeant. Ipsa nobilium multitudo erat comitatus Principis. Certas tamen in eligendis Principibus adhibebant ceremonias. Cassiodorus Variar. lib. 10. hunc de Gothis & eorum Regibus ritum solennem refert, quod electus Dux more gentis *scuto impositus & sustinentium humeris vibratus sit*. Ita *Brinio* olim electus. Tacit. lib. 4. histor. Gregorius Turonensis lib. 7. c. 10. habet, quod Gothi scuto impositum Principem in gyrum circumtulerint. Nam de *Gunebaldo* Gothicæ originis Viro, in Regem electo, *Parmæ*, ait, *superpositus, rex est elevatus. Sed cum tertiò cum eo gyrarent, cecidisse fertur, ita, ut vix manibus circumstantium sustentari potuisset*. Eadem habet Amoinus lib. 3. c. 6. Hunc Gothorum ritum, regem suum elevandi, didicisse ab illis *Romanos*, putat Cluverius c. l. c. 46. Probant id plurima apud Historicos exempla, à Romanis sic elevatorum Imperatorum. Hic ritus in *Gordiano* Cæsare, apud Herodianum lib. 8. in *Maximino & Balbo* apud Capitolinum, Conf. Zosimus l. 3. in *Juliano* apud Amm. Marcellinum lib. 20. servatus. Denique & *Græci* hoc delectati ritu, suos Principes in scuto elevatos circumgirabant. Ita de *Justiniano* Zonar. de *Theodorico* Ducis Filio Nicephor. Gregor. lib. 3.

In scuto Principes vibrati.

Hunc morem servarunt quoque Romani,

& Græci,

Et modò Prussi.

Tenax talium rerum Gotho-Prussia hunc ritum itidem ex antiquo obser-

Obſervat, adeò ut ſuum, quem iis præfecit Elector, Capitaneum elevent, Nadravi, Zalavoni &c. & humeris ſuis geſtent, imani voce eidem congratulantes & proſpera quæque apprecantes.

Auſpicia & Sortes.

Auſpicia tamen & *Sortes* præceſſiſſe electionem hanc, omninò probabile eſt: Nulla quippe gens unquam adeò rerum fuit expers divinarum, quæ non ad futura cognoſcenda auſpicia adhibuerit. Tacitus certè noſtris Germano-Gothis diſertè adſcribit, illos quàm maximè auſpicia Sortesque obſervâſſe. Præſertim in rebus alicujus momenti, adeò ut conſultationes quaslibet, ſortibus auſpiciiſque non conſentientibus diſtulerint. *Si prohibuerint*, inquit Tacitus, *nulla de eadem re in eundem diem conſultatio. Si permiſſum, auſpiciorum adhuc fides exigitur.* Et illud quidem hìc notum, avium voces volatusque interrogare. Illud notandum, quod Gothi haud paucis uſi ſint avibus in auguriis, quod patet ex Cicerone de divinatione lib. I. qui de Gallis ſcribit, quod omnibus ferè avibus uſi ſint. *Gallorum* autem & noſtrorum *Germanorum* auguria fuiſſe inter ſe ſimilia ac paria probat Cluverius l. I. c. 36.

Aves in auguriis.

§. III.

De Comitibus Principum Gothicorum.

Comites Principes Goth.

ADjungebantur Principi Gothorum maturi Viri ingenio, tanquam conſiliarii bellici, & quibus rerum bellicarum ac Oeconomicarum ſatis perſpecta erat notitia & fides. Hi Comites *intimæ admiſſionis & magnæ æſtimationis fuêre*, ſemper Principem comitantes, cui non rubor erat cum illis converſari, ac eorum nonnunquàm judicium ſequi. Et ipſi comites in id laborabant, ut ſaluberrimis conſiliis, factiſque glorioſiſſimis Principi ac Reipublicæ ſe quàm optimè commendarent. Ita Tacitus c. l. cujus verba lubet adſcribere. *Magnaque erat*, inquit, *& comitum æmulatio per virtutem, quibus primus apud Principem ſuum locus: & Principum, cui plurimi & acerrimi comites. Hæc dignitas Principi, hæ vires, magno ſemper electorum juvenum globo circumdari; in pace decus, in bello præſidium. Nec ſolùm in ſua gente cuique principum, ſed apud finitimas quoque civitates id nomen, ea gloria erat, ſi numero ac virtute comitatus emineret. Expetebantur, cum ſuo quisque comitatu legationibus ab aliis civitatibus, quibus bellum aliquod exortum & muneribus ornabantur. Et ipſâ plerumque famâ ex numero ac virtute comitum partâ, bella profligabant. Cùm ventum in aciem, turpe Principi virtute vinci; turpe comitatui, virtutem principis non adæquare. Jam verò infame in omnem vitam ac probroſum, ſuperſtitem principi ſuo ex acie ceſſiſſe. Illum defendere, tueri, ſua quoque fortia facta gloriæ ejus aſſignare, præcipuum ſacramentum erat. Principes pro victoria pugnabant; comites pro principe. Si civitas, in qua orti erant, longa pace ac otio torperet; plerique nobilium adoleſcentium, qui principis dignitate accepta ordines ducere inchoaverant, petebant ultrò eas nationes, quæ tum bellum aliquod gerebant. Quia & ingrata genti quies,*

& faciliùs inter ancipitia clarescebant: magnumque comitatum nonnisi vi belloque tuerentur. Hæc Tacitus, qui si in Sarmatia nostra tùm vixisset, non potuisset certè magis affabrè statum Sarmatiæ describere. Adeò supersunt hujus rei in Patria nostra argumenta, quæ de nulla alia gente per totam Europam ullo probari queunt modo. Testatur id Chronica Ruthenica, Polonica, Prussica pleno ore veterum hunc fuisse morem. Imò & hodierna bella itidem demonstrant plerumque. Huic Gothorum mori insistentes Poloniarum ingenui, non tam se satellites Regis, quàm Comites in bello nominant: adeò, ut sciscitans à milite Polono aut Lietvano, sub quo Principe seu Rege bellârit, nonnisi sic formare quæstionem debeat: Cum quo Rege seu Principe bellum gesserit? Cui plerumque sic respondet: Cum illo vel illo Rege bellum gessi contra Scythas. Ita mansit nobis & nomen & res ipsa, quæ nostris Germano-Gothis Tacitus adscribit.

Comites hi differunt à Comitibus Rom. Imper. modernis.

Horum Comitum dignitas autem differt à dignitate Comitum, quæ in Imperio Romano modò in usu est. Licet olim & nunc in Imperio Romanor. essent & sint, qui sectentur Principem & comitentur, tamen hodierna eorum Comitum dignitas respicit non tam bellicum servitium, quàm dignitatem personæ cum dominio ad certum locum & territorium, quod comitatûs nomine insigniunt. Gothorum autem Comitum officium erat propriè commilitare, consilio, auxilio, servitio unà cum suis clientibus, qui quasi comites comitum erant, inter quos & nobiles & ingenui, militiam professi, adesse Principi. Tales erant, Comites *Alavini & Tritigerni* Gothorum Regum apud Marcell. lib. 31. quos alibi lib. 21. & 29. vocat mox Comites, mox Satellites, quamvis cum aliquo discrimine fuerint.

Comparatio Comitum Goth. cum militaribus Patriæ nostræ officialibus.

Illorum, qui cum Rege militabant, ac à Tacito Comites vocantur, officium fuit, si cum hodierno Sarmatiæ nostræ statu militari comparatio institui deberet, quod est modò Comitum Palatinorum in Patria nostra. Horum verò, qui Comites erant Comitum, officium correspondere videtur illorum nobilium, qui Palatinum suum sequuntur, gloriâ martiæ virtutis inflammati. Comprobatur hoc ex Possidonio apud Athenæum lib. 4. c. 13. ubi hæc connotanda veniunt. Scilicet: Convivæ plures, si conveniant, in orbem quidem consident, in medio verò est præstantissima sedes, ceu totius cætus principis: ejus nimirum, qui cæteros vel bellica virtute ac dexteritate, vel nobilitate generis anteit vel opibus. Huic proximè assidet Dominus convivii: & utrimque deinceps pro splendore dignitatis, quâ excellunt. His à tergo adstant clypeati: hastati verò ex adverso in orbem, quemadmodum Domini sedentes, unâ cum iis cibum capiunt. Dixerit quis Possidonium apud nostros Sarmatas vixisse, & eorum mores descripsisse; ita graphicè ad amussim hodiernum adhuc ritum, armis paulùm mutatis depinxit. Ex quo colligitur (1.) Gothos nostros nonnisi armatos quicquam fecisse, imò ad convivia armatos processisse; quod Tacitus expressè habet. (2.) Gothos diversos habuisse suos Satellites ac Clientes: illos hastatos fuisse ac ex adverso discretis mensis consedisse: hos clypeatos ac stetisse, quasi ministrantes suis Dominis.

Vaid-voiti Prussorum. Waiwodæ. Waidewuitis, Waidulli. Krywe.

Hi comites erant simul judices rerum & civilium & militarium, ad instar illorum, qui intimi sunt in aula Principum nostrorum Consiliarii, aliud interea nomen præsertim belli tempore tenentes. In Gothia nostra Sarmatica vocabantur *Vaid-voiti*, quasi qui dirimunt lites, vel præfecti causarum à Waida, i. e. lis rixa, bellum, & Voitis præfectus. In horum locum sunt modò Waiwodæ Comites in bello Regis & Provinciarum magni Præfecti. In Prussorum Chronicis celeberrimi sunt Waidewuitis & Waidelutti, Waidulli &c. Ille habebatur instar Principis. Hi, scil. Waidelutti comites Waidevuti. Ille postea Krywe dictus, item Krywe Krywaicziu, id est primus Princeps sive Pontifex Pontificum, Princeps Russorum, Prussorum, Livonum, Masoviorum Pacis bellique arbiter summus, ab cujus ore pendebant omnes terrarum istarum Reguli, Principem comitantes.

Comitum fides & potentia.

Horum Comitum fides ergà Principem commendabilis semper fuit; utpote, *qui post regem vivere flagitium arbitrati sunt.* Am. Marcell. lib. 1. 6. Comites hi Gothor. attulerunt ferè totum exercitui pondus, Clientes suos & servos. Nimirum quilibet pro amplitudine territorii sui, quod regebat, singularem militum numerum adducebat. Inter quos fuerunt, qui ad *centum millia* militum adducere valuerunt. Am. Marcell. lib. 31.

Mulieres Comites.

Non autem viri tantùm, sed & *mulieres* sæpiùs comitabantur Principes Gothicos: quarum consilio & auctoritate omnis sæpè rei militaris nervi protendebantur. Non modò pugnabant, sed & consulebant, de summa sæpè rei militaris. Petrus à Dysburg part. 3. Chron. c. 4. p. m. 77. notabile quid refert, de quadam muliere *Galindica*, Gotho-Prussica, cujus tanta fuit auctoritas, ut Galindi, nullis armis tecti vel muniti, magnum belli opus aggressi, totam ferè Masoviam depopulati sint, mortem etiam inermes appetere non detrectantes. Accedit, quod mulieres Gothæ, magicis deditæ artibus, vanis suos obfascinârint spectris, insolitisque rebus, viros vel animantes, vel languidos facientes. De quibus fusiùs in deliciis antiquit. Pruss.

Galindica Vaticina.

Gallorum Mulieres.

Hoc tamen & aliis commune fuisse populis non denegandum est. Certè de *Gallis* habet Plutarchus in libr. de virtutibus mulierum hæc: *Galli*, antequam Alpes transgressi, Italiæ eam occupârant partem, quam nunc incolunt, è gravi & implacabili discordia in bellum inciderunt civile. Mulieres autem inter media arma progressæ, cognitis controversiis, tam dextrè eas & æquè dijudicaverunt, ut admirabilis earum ex arbitrio amicitia omnium per urbes singulasque Domos exstiterit. Itaque inposterum mos à Gallis servatus est, ut consultationibus de bello & pace fœminas suas adhiberent; & lites cum sociis ortas, earum operâ componerentur. Hac de causa Galli adhibuerunt ad Consilium fœminas: Alia verò ratione nostri Germano-Gothi. Nimirum inesse iis sanctum aliquid ac providum putârunt. Quare nec earum consilia aspernabantur, aut responsa negligebantur. Ita Tacitus. Et hæc confirmant nostram, quam modò attulimus, sententiam.

§. IV.
De cæteris militiæ Gothicæ Officialibus.

Officiales militares Goth.

NUmeroſi, ac tot tantisque victoriis inclyti exercitus, quibus tot debellârunt Gothi imperia, absque Officialibus haud regi potuerunt: qui quo nomine apud illos ſint nuncupati, id ex Auctoribus nobis haud notum eſt. Injuriæ id adſcribendum putamus ævi illius, quo politie ac literaturâ deſtituti Gothi, ſuæ gentis ſcriptores, qui tot ac tantas eorum expeditiones literis conſignarent, eorumque officia ac heroes connotarent, haud nacti ſunt. Scilicet magis illi in edendis, quàm deſcribendis facinoribus intenti fuerunt. Demùm cùm poſt devicta tot regna Italiam ingreſſi, ſedes ibidem, firmato imperio, fixerunt, eadem cum Romanis in Romano ſolo, imperio officia milites Gothos militaria ſuſtinuiſſe officia non denegandum eſt, licet forſan nativâ linguâ alia iſtis officiis indiderint nomina, quàm Romani. Conferantur Caſſiodorus, Sidonius & alii. Præfuiſſe quosdam militibus majori minorive auctoritate, quos Romani tribunos vocabant. Fuiſſe: qui primos in prælio ordines ducerent, Romanis *Ordinarios* dictos. Fuiſſe *imaginarios*, qui Principum ſuorum imagines; *ſigniferos*, qui ſigna portabant. *Teſſerarios*, qui teſſeram per contubernia militum nunciabant. Fuiſſe, *Campigeros*, metatores. Fuiſſe *Vigiliarum caſtrorumque & armorum*, eorumque *fabrorum* præfectos, quorum occupationibus arma, equi, veſtes, annona, diſciplinæ jus, exercitationes, impedimenta, vehicula, ſagmata, ferramenta, machinæ bellicæ, unâ cum earum rerum fabris, lignariis, inſtructoribus, carpentariis, ferrariis, tormentariis, ut & fabricis ſcutariis, loricariis, arcuariis, Cunicularìis &c. procurabantur. Fuiſſe quoque *tubicines*, *Cornicines*, *buccinatores*, qui

Aere ciere viros, Martemque accendere cantu

ſolebant. Diverſim autem hi adhibebantur.

Tubicines ad prælium vocabant milites, & rurſus receptui canebant, à Tubicine omnes vigiliæ committebantur, & finitis horis à cornicine revocabantur. *Cornicines*, quotiens canebant, non tàm milites, quàm ſigna ad eorum obtemperabant nutum. Quoties ad aliquod opus exituri erant ſoli milites, tubicines canebant; quotiens movenda erant ſigna, cornicines canebant. *Buccinatores* canebant, cùm cornua ducebant exercitum, Imperatore præſente, vel cùm in militem capitaliter animadvertebatur. Tubicine milites ad vigilias, ad angarias, ad opus aliquod evocabantur, & eodem revocabantur. Hos omnes fuiſſe, nemo facilè negabit, cùm absque illis nulla expeditio bellica gaudere poſſit ſucceſſu.

(o)

CAPUT

CAPUT VI.

Exhibet Castrametationes & Acies Gothorum.

§. I.

De Castris Gothorum, eorumque metatione.

Nihil neque tam salutare, neque tam necessarium est in bello, quàm rectè constituta castra, in quibus securi diu & noctu milites peragent, & ad quæ, si in acie casu quodam cedere cogantur, se recipiant, ne more pecudum inulti pereant. Incautum quippe plenumque discriminis, exercitum passim sine aliquâ munitione considere.

Castra varia veterum.

Castra autem Veterum triplicia erant. Vel erant *temporaria*: id est, momentis mutabilia; vel *stataria*, quibus hostem, dum se in munito loco continuerit, occupare; aut *sustentoria*: quibus urgentem & lacessentem hostem sustinere intendebant.

Inventor castrorum Pyrrhus.

Pyrrho verò Epirotæ, cujus territoria etiam Gothorum olim terminos attingebant, gloria hæc præcipua fuisse traditur, quod exactam castra metandi scientiam, ac perspectam, idonea castris loca eligendi habuerit cognitionem; quam fortè à vicinis suis, Scythicâ ac Gothicâ gente, utpote antiquissimâ ac bellicosissimâ accepisse verisimile est.

Loca pro Castris.

Pro loci tamen qualitate, ubi castra metanda forent, proque angustia vel laxitudine ejusdem, ut & militiæ ac impedimentorum multitudine duces militares, se castris capiendis insinuare necesse habent. Castra autem, hoste præsertim vicino, tutô semper sunt facienda loco. Eligenda inprimis loci salubritas, ubi diutiùs commorandum sit, & ubi suppetat lignorum, pabuli ac aquæ copia; ne commeatus aut res frumentariæ prohibeantur. Notanter loquitur Vegetius lib. 3. c. 8. *In metandis*, inquit, *castris, non sufficit locum bonum legere, nisi talis sit, ut alter eo non possit melior inveniri: ne utilior prætermissus à nobis & ab adversariis occupatus adportet incommodum.* Item: *Primum auxilium captes ex loco, qui tantò utilior judicatur, quantò superior fuerit occupatus.* Præcavendum itaque, ne collis aut jugum immineat, unde prospectus Castrorum & subita incursio fiat, neque silva densa, aut latens fossa vel sinus occulti jaceant, unde latebræ hostium & insidiæ parari, aut tacito speculatu pericula oriri possint.

Figura Castrorum.

Sed neque eadem semper figurâ & habitu, neque eisdem in locis castra metari debent aut solent; siquidem interdum *quadrata*, interdum *trigona*, interdum *semirotunda*, item *rotunda* fecerunt antiqui Castra. Gothis nostris placuit rotunda seu orbicularis forma. Scilicet figura quæque ut perfectior, ita capacior creditur. Tali formâ constituta castra maximos sæpè exercitus complexa sunt. Ea *circumdabant rhedis.* Corn. Tac. de Morib. Germ. Eadem de his, quo-

 que

que Germanos vocat, refert Cæsar. l. 1. Comment. *Tum demùm*, inquit, *necessariò Germani suas copias è castris eduxerunt, generatimque constiterunt, paribusque intervallis* Harudes, *Marcomani, Triboces, Vangiones, Nemetes, Sebusii, Suevi, omnemque aciem suam rhedis & carris circumdederunt, ne qua spes in fuga relinqueretur. Eo mulieres imposuerunt, quæ in prælium proficiscentes milites passis manibus flentes implorabant, ne se in servitutem Romanam darent.* Idem testantur Vopiscus in Vita Aureliani, Trebellius Pollio in vita Claudii & in vita Gallieni. Sisenna 4to histor. Ammian. l. 31.

Dispositionem hujus Carraginis descripsimus Cap. 3. §. 4 hujus libri M. G. quo benevolum lectorem remittimus.

§. II.
De aciebus Gothorum.

Acies Gothorum per Cuneos.

CErta licet lex, teste Alexandro ab Alexand. lib. 4 Genial. Cap. 7. de instruendis disponendisq; aciebus tradi nequeat: quia ex monte, flumine vel locorum ritu facilè vel impedito, aut ex subjectâ planitie, & natura regionis perlustrata oculis, providens diligensque Dux, exploratò & prævisò acies dirigere & copias admovere debet: & nunc directâ, nunc cuneatâ, vel trigonâ, aut hemicylâ, modò latè fusâ & protentâ acie, nunc quadrato agmine, in hostes vadere aut hostium vim excipere: nunc frontem vel cuneum, nunc subsidia, orbem, globum, forfices, Serras &c. atque alas facere: ita ut terrarum situi sese accommodet & qualitati insinuet, tamen aciebus per cuneos dispositos magnas sæpè effecêre res Gothi. Hæc discimus ex Cornelio, qui de Gotho-Germanis expressè habet: *quod acies per cuneos composuerint, cedere loco, dummodo rursus instes, Consilii quam fortitudinis arbitrati.* Sic tamen Gothi cuneis valebant, ut quacunque parte decurrerent, irruptionem facerent. In hoc fuerunt quàm exercitatissimi: quod testatur Cæsar. lib. 1. Hist. Gall. de Suevo-Gothis loquens, *at Germani*, inquit, *celeriter ex consuetudine sua, phalange facta, impetus gladiorum exceperunt.* Acies autem cuneis per familias & propinquitates instruebant: Sarmatæ ac alii per turmas, quibus insuperabiles erant.

Deos consulebant Gothi

Ante conflictum tamen *Deos* primùm *consulere* consueverunt, idque variis modis ritibusque; vel enim sorte id fiebat, vel virgis decisis plerumque salignis, ita Tacitus c. l. *Virgam frugiferæ arbori decisam in surculos amputabant; eosque notis quibusdam discretis super candidam vestem temerè & fortuitò spargebant. Mox si publicè consulatur, Sacerdos civitatis, si privatim, ipse paterfamilias, precatus Deos, cœlumque respiciens ter singulos tollit: sublatos secundùm impressam à se notam interpretatur.* Observabant quoque *auguria & auspicia*, rati, *quod volatus avium dirigat DEus: amet enim benignitas Numinis seu quod mereantur homines, seu quod tangatur eorum affectione, his quoque artibus, prodere, quæ impendent. Equorum præsagia* ibidem observabant Gothi. *Proprium*, inquit Tacitus c. l *gentis equorum quoque præsagia ac monitus experiri. Publicè aluntur iisdem in nemo-*

Eorum auguria & auspicia.

Equorum præsagia.

nemoribus & lucis, candidi, ac nullo mortali opere contacti, quos pressos sacro curru Sacerdos ac Rex vel Princeps civitatis comitantur hinnitusque ac fremitus observant. Nec ulli auspicio major fides &c. Suevo-Gothi & alii Gothicæ gentis populi, mulierculas in bello adhibebant vatidicas. De quibus Cæsar. c. l. de Ariovisto loquens: *Cum ex captivis*, inquit, *quæreret Cæsar, quamobrem Ariovistus prælio non decertaret, hanc reperiebat causam: quod apud Germanos ea consuetudo esset, ut matresfamilias eorum sortibus & vaticinationibus declararent, utrum prælium committi ex usu esset, nec ne. Eas ita dicere, non esse fas Germanos superare, si ante novam lunam prælio contendissent.* De Cimbris hæc habet Strabo. lib. 7. *Eæ* inquit, *fœminæ per castra captivis occurrebant strictis gladiis; conversosque ad craterem æneum ducebant, amphoras circiter viginti capientem. Habebant autem pulpitum; quo conscenso, super craterem Sacerdotum una singulis in sublime elevatis, guttur incidebat, è sanguine in craterem profuso divinationem quandam captabant; reliqua cadavera cæsorum recludebant, extisque inspectis victoriam suis vaticinabantur.* Cæterùm Prusso-Gothi etiam, raró factum aliquod, teste Dysburgo Part. 3. Chron. c. 5. notabile inchoabant, *nisi priùs missa sorte, secundùm ritum ipsorum à Diis suis, utrum benè vel malè debeat succedere, sciscitarentur.* Potissimùm verò in bellum ituri hominem ex hostium exercitu capiebant, cujus pectus *Crive* Pontifex, captandi ex profluente sanguine, ominis causâ, secespitâ dissecabat. Si enim sanguis torrentis ad instar è vestigio erumpebat, prosperum inde belli eventum Prussi augurabantur; Sin guttatim tantùm destillabat, adversum hoc sibi omen interpretabantur. Henneb. de Veter. Pruss. p. 20. T. Grun. Tract. 2. c. 5. Plura hac de re in Deliciis antiquit. Prussic.

Mulierculæ Gothorum vatidicæ.

Acie instructa plerumque erant milites, qui ad *monomachiam* hostes provocabant, Front. l. 4. c. 7. de stratagemat. Acie utraque jam composita, attollebatur à militibus clamor ingens, quem Barrytum, alii Bardytum, sed perperàm appellant. Personabat puto totus exercitus his verbis, *Bar, Bar*, ubi nunc Tartari nostri sonora voce *Hala Hala* personant. Mos hic in concertatione vocibus bar, bar, personare, durat adhuc in Zamogethia, Nadravia, Zalavonia, Lietvania: Præsertim in fine messis, ad celeriùs perficiendam messem, colonis bar bara intonantibus. Inde barrytus vox, atque ab hac voce Romani & Græci exteros & imprimis Gothos barbaros appellârunt.

Monomachia Gothorum.

Barrytus Gothorum.

Unde nomen barbarus.

In Conflictu acriter pugnabant Gothi; coacto agmine, omnibus sæpè uno impetu impressionem facientibus, ultroque in hostes irruentibus. Frequens apud illos fuit, ut cedere loco, & rursus instare pro consilio haberent; vel ut equites, dimissis equis ad proximos evaderent, immiscentes se peditibus, dum fluctuatur acies, hosti obviam irent; ideò ut spe fugæ erepta, æquato omnium periculo, pedestri prælio acriùs insisterent: vel ut in hostes acriùs incurrerent, detractis frœnis, cùm effusum cursum temperare nequirent, equos concitatos agerent, & impressione factâ, vi viam facerent, sparsosque & incompositos adori-

In conflictu acres Gothi.

Essedæ. adorirentur. (a) Frequens quoque erat ex Essedis pugnare, de quo egimus præc. capite, quo Lectorem remittimus.

Carrago. Repulsi, ad Carragines se receperunt, ibi unà cum mulieribus in carris manentibus novam sæpè ac graviorem excitavêre pugnam. De quo citato loco egimus.

§. III.

De Romanorum aciebus contra Gothorum acies instructis.

Contra has Gothorum acies, qualiter Romani suas instruxerint acies, discimus ex Arriano in Tacticis, qui in specie aciem Romanorum contra Alanos Gothos affabrè nobis descripsit, cujus verba, interprete Nicolao Blancardo, lubet benevolo communicare Lectori. „Præibant, inquit, quidem exercitum universum equites *speculatores*: bini & bini collocati, cum peculiari Præfecto suo. Post ipsos „erant *Jaculatores* fundis Saxa librantes, quibus & ipsis per binos divisis „præerant *Decarchæ.* Post hos erant collocati ex ala *Isauriana* di„cta. Adjunctos autem habebant, qui erant cohortis quartæ *Rhæum*: „quibus imperabat Daphnis *Corinthius.* Post hos, ex ala, cujus no„men *Colones.* Adjunctos autem sibi habebant *Ityræos*, & *Cyrenæos*, „quique erant ex *Rhætica* prima. Omnibus autem istis præerat *De„metrius.* Post ipsos verò stabant *Celtæ* equites etiam ipsi binario nu„mero dispositi, præeratque eis Centurio, velut in Castris. *Pedites* „verò post ipsos erant collocati, signa ante se posita habentes, *Itali* & „*Cyrenæi*, quotquot præsentes erant. Ducebat autem omnes *Pulcher*, „qui Italis præerat. Post ipsos collocati erant *Bosporani* pedites, Ducem „habentes Lamprodem, subjunctique ipsis *Numidæ*, cum præfecto suo, „*Vero.* Acies autem erat quatuor armatorum. Præcedebat verò eos, „quicquid erat *Sagittariorum.* Latera autem aciei utrinque custodie„bant *equites Achæi.* Post ipsos autem sequebantur *equites* selecti, & „post hos equites de legione. Deinde *Catapultarii*, postea signum le„gionis decimæ quintæ, & juxta illud Dux legionis *Valens*, & Lega„tus, & *Chiliarchæ*, quibus adjuncti erant etiam *Centuriones*, *primæ„que* cohortis *epistatæ.* Juxta signum autem peditum collocati erant „*Jaculatores*; *pedites* ipsi per quatuor ordinati ibant. Post decimam „quintam legionem, signum *legionis duodecimæ* erat collocatum, & cir„ca ipsum *Chiliarchæ* & *Centuriones*, per quatuor ad eundem modum. „Atque ita quidem ordinata fuit legio. Post gravem autem armatu„ram collocati erant socii, ex *minori Armenia*, & *Trapezuntiorum* „graviter armati, & *Colchi*, & *Rhiziani*, qui erant *Lancearii.* Subjun„cti eis *Aplani* pedites. Totius autem sociorum exercitus Dux erat „*Seculinus*, qui præerat Aplanis. Post hos sequebantur impedimenta. „Claudebat agmen postremò ala *Getarum*, cum Ilarcha suo. Pedi„tum autem latera claudebant *Centuriones*, ipsi quoque per quatuor „collocati. Præsidii verò gratia *ala conducticia* circum equitabat, uno

(a) Alexander ab Alexand. in Geniol. dieb. l. 4. c. 6.

„ uno versu utrinque ordinata, & *Italorum* equites. Præfectus autem
„ alæ adequitabat lateribus. Universi verò exercitus Imperator *Xeno-*
„ *phon* erat, qui plerumque quidem ante signa peditum incedebat, ad-
„ erat tamen aciei toti, observabatque, quo ordine incederet. Atque
„ eos quidem, qui deserebant ordinem, corrigebat, qui verò servabant,
„ laudabat. Atque ita quidem ordinati incedebant. Cùm verò venis-
„ sent in campum definitum, equitatus omnis circum circa collocatus
„ stabat acie quadratâ. Speculatores autem dimittebantur in loca ido-
„ nea, ut inde observârent hostem. Inter hæc signum dabatur, ut cum
„ silentio armarent se, & armati ordinarentur. *Ordo autem erat talis.*
„ Utrumque cornu peditum loca editiora campi habebat occupata, in
„ quo acies instruebatur. Adjuncti autem erant, *dextro* quidem *cornu*
„ *Armenii*, qui cum *Vasace* & *Arbelo* erant, tenebantque hi summam
„ ejus partem, quod omnes essent *Jaculatores*. Adjunctos autem sibi
„ habebant *pedites* ex cohorte Italica, quibus omnibus præerat Pulcher,
„ qui & cohortis Italicæ Dux erat. Cornuque totum curabant & ipse
„ & *Vasaces* & *Arbelus*, erantquæ hæ ipsorum equestres & pedestres
„ copiæ. In *sinistro* verò *cornu* collocati erant, summamque ejus tene-
„ bant partem, socii ex minore *Armenia*, & *Trapezunciorum levis*
„ *armaturæ* milites, & *Ariziani lancearii*. Ante ipsos verò erant col-
„ locati *Aplani* ducenti, & *Cyrenæi* Centum : ut *gravis armaturæ* mi-
„ lites essent velut propugnaculum ante Jaculatores, hi verò tela super i-
„ stos possent emittere. Mediam autem aciem superiorem dextram
„ totam tenebat *legio pedestris decima quinta*, per medium campi to-
„ tius, quod numerus ejus esset longè maximus. Reliquam autem si-
„ nistram explebant, qui erant ex legione duodecima pedites in extre-
„ mitate cornu, per octo collocati, continenterque ipsis erant adjuncti
„ & primi quidem ordines quatuor stabant hastati longa & tenuia fer-
„ ramenta præfixa habebant. Atque eas quidem habebant protosta-
„ tæ ad projiciendum ante se paratas, ut si appropinquarent eis hostes,
„ dirigerent, præsertim in pectora equorum ista ferramenta. *Hypo-*
„ *statæ* verò, & qui tertio quartoque stabant ordine in pugna remitte-
„ bant *contos*, accidebatque ut & equos prosternerent, & equitem de-
„ jicerent, & clypeo *cataphractæ*, thoraci impacto conto, propterque
„ ferri molliciem inflexa cuspide, efficerent, ut usum sui præbere eques
„ non posset. Post hos erat ordo *Lanceariorum*. Nonus verò post
„ illos stabat ordo *peditum sagittariorum ex Nomadibus*, *Cyrenæis*, &
„ *Bosphoranis* & *Ityræis*. Ad utrumque verò cornu stabant machinæ,
„ ut si è longinquo adventaret hostis, emitti tela possent, etiam à ter-
„ go totius aciei. Omnes autem copiæ equestres in alas & lochos o-
„ cto dispositæ adstabant peditibus, à cornibus quidem, propugnacu-
„ lum habentes ex gravis armaturæ peditibus ; & sagittariis ante eos
„ collocatis Lochi duo, ad mediam verò legionem, Lochi sex. Ho-
„ rum verò alii, qui erant sagittarii equites, proximè adstabant *pha-*
„ *langi*, ut sagittis eam possent superare : alii qui *lancearii*, aut *conta-*
„ *ti*, aut *armati ensibus aut securibus*, utrinque in transversum obver-
„ so vultu stabant, & expectabant signum. Equites verò selecti erant

„circa Xenophontem ipſum, & ex peditum phalange ducenti circiter, „ad corporis ejus cuſtodiam, & centuriones, juncti ſelectis cuſtodum „corporis præfecti & decuriones ſelectorum ſtabant autem circa eum „centum levium lanceariorum, ut totam adire aciem, & ubi neceſſi-„tas poſtularet, curare eam valeret. Præerat autem dextro quidem „cornu univerſo equitatu valens, qui & legionis decimæ quintæ erat „præfectus. Siniſtro verò, Chiliarchæ legionis duodecimæ. Dum „autem ita ordinantur, ſilentium erat. Poſtquam verò hoſtes appro-„pinquarent ad teli jactum, illi quoque contra ibant, omnesque ma-„ximum & terribiliſſimum edebant clamorem. Fundebanturque „tela ex machinis lapidesque, jacula quoque arcubus, & lanceas lan-„cearii emittebant, & levis armaturæ milites velitesque. Congereban-„tur autem lapides in hoſtes etiam à ſociis, & tela emittebantur undi-„que denſiſſima ſimul, & ad terrorem equorum & exitium equitan-„tium hoſtium, ſpesque magna erat in ineffabili multitudine telorum. „neque minùs Phalange pedeſtri Scythas adoriebantur incurſantes. „Conſtipabant enim ſe ſcutis humerisque, animoſiſſimeque impetum „excipiebant. Erantque ſic conſtipati tres primi ordines contra illum „impetum, qui fuit violentiſſimus. Quartus verò trans illos priores e-„mittebat lanceas. Reliqui feriebant, aut jaculabantur contis ſine di-„ſcrimine in equos virosque. Cùm autem rejecti, apertâ abirent fu-„gâ, procedebant copiæ pedeſtres, incurrebant verò equeſtres non lochi, „ſed pars tantùm dimidia. Erant autem primò collocati, qui primi in-„currere debebant. Ipſos qui incurrebant, ſequebatur pars altera di-„midia, ordine, non penitùs procurrens, ut ſi fuga longior hoſtium de-„tineret priores, hi perſequentibus ſubvenire poſſent, equis integris. Si „verò verterent ſeſe, in convertentes ſimul adjunctis Armeniorum ſa-„gittariis impetus poſſet fieri cum jaculis, nec fugientes convertendi ſe-„ſe ullam acciperent poteſtatem. Sequebantur & lancearii leves curſu, „neque acies pedeſtris manebat in loco ſuo, ſed progredi & ipſa feſtina-„bat, ut ſi validius reverterentur hoſtes, celeriter præſidio eſſet equitibus. „Atque hoc quidem fieri debebat, ſi poſt primum conflictum fuga te-„neret hoſtes. Si verò verterent ſeſe, atque circumire cornua vellent, „protendebantur extrema versùs cornua leviter armatorum. Quod „non probo, ne quando per extenſionem iſtam rara facta cernant cor-„nua hoſtes, per ipſa perrumpant, & copias pedeſtres reſcindant. Quan-„do autem ſuperant cornua, neceſſitas exigit, ut transverſi eis ſtatu-„antur equi, conti quoque transverſi. Et ſiquidem tunc facient incur-„ſionem, non contis eos, verùm gladiis atque ſecuribus adoriantur.

Hæc ex Arriani fragmentis de acie hac. Unde quadantenus per-ſpicere licet, & quis Romanorum ordo fuerit aciei contra Gothos, & Gothorum contra Romanos.

§. IV.

De actis poſt victoriam obtentam.

Sacrificia Gothorum poſt victoriã obtentam.

VIctoriâ obtentâ, teſte Tacito Annal. l. 13 Marti & Mercurio ſacra fecêre, quibus Sacrificiis ejus viri cunctaque bello acquiſita ple-

rumque

rumque occidioni data. In antiquiſſima Gothorum ſede Pruſſia, talis ſervabatur mos. Ne adverſus Deos ſuos viderentur victoriâ obtentâ ingrati, variis gratam mentem ſuam modis ergà ipſos declarare ſolebant. Et quidem primum hoſtium Ducem captum, aut ſi etiam plures primariæ dignitatis viros, inter captivos numerarent, unum ex iis ſorte deligebant, quem equo impoſitum, armisque conſuetis, quibus contra Pruſſos uſus fuerat, indutum in honorem Deorum ſuorum comburerent. Hartknoch. Diſſert. 18. de antiquit. Pruſſic. n. 9. Deinde ſacrificio hoc oblato prædam inter ſe dividebant, ita ut pars cederet Victori, pars Sacerdotibus, pars adjutoribus & amicis. Dysb. part. 3. Chron. c. 5.

Moderatio Gothorum victoriâ obtentâ.

Poſt victorias obtentas Gothi moderationem ſæpiùs longè laudabilem adhibuerunt. Procopius Hiſtoricus Græcus, l. 3. Hiſt. Gothic. certè nobis raram & incomparabilem Gothicæ gentis humanitatem, atque ergà hoſtes etiam clementiam retulit; cujus verba adſcribere libet. *Totilas igitur*, inquit, (Rex Gothorum) *Neapoli capta, eam in captivos præ ſe tulit benignitatem, quæ utique nec barbaro, nec hoſti ſat convenit. Quippe qui Romanorum præ inedia affectorum inprimis curam ſuſcepit: nec ſecùs & eorum, qui cum cibo diutiùs caruiſſent, imminuti viribus viderentur. Veritus itaque, ne ex repentino ac nimio cibo ad ſacietatem deſumpto, uti par erat, ingurgitati perirent, medendi hunc modum excogitavit. Cuſtodibus in portu portisque diſpoſitis imperavit, neminem ea abire permitterent. Tum ipſe omnibus moderatione providâ quâdam, parciùsque quàm pro ſingulorum appetentia, præbere: hosque eatenus quotidie fameſcentibus addere, quoad ne auctos quidem, ingeſtosque ſibi ſentirent.* Idem rurſus eodem libro de eodem Rege locutus: *His Totilas rebus peractis, Romam contendit, quam ſtatim, ubi eſt proximè ventum, obſedit. Agrorum verò cultoribus per omnem Italiam, mali nîl quidpiam intulit: ſed terram, ut intrepidè colerent, nîl ſecùs ut antea, imperavit.* Idem mox, cùm de Pelagio, infeſtiſſimo Totilæ Viro loquitur. *His cum mandatis*, ait, *ubi ad Totilam Pelagius venit, & ab eo perbenignè eſt ſuſceptus, prior Totilas ita exorſus eſt: Conſtat ſanè apud Barbaros omnes id lege cautum eſſe, Oratores ut hi plurimùm colant & venerentur. Mihi verò, qui virtutis ſibi aliquid comparârunt, qualis tu es, honorem deferre ſimul & reverentiam, jam pridem ſtudium fuit.* Idem de captivitate urbis Romæ ſcribens; *Ineunti itaque*, aît, *id Totilæ templum, Pelagius ipſe ſeſe obviam offert, Chriſti in manibus Evangelia portans, ſupplexque omnibus factus, & genu procumbens: Parce, inquit, ô Princeps tuis. Tum ille arridens, & ſanè profuſiùs, ita profatus eſt. Nunc mihi ſupplicaturus adveniſti, ô Pelagi? Ita quidem, reſpondit: quandoquidem me tuum effecit ſervum DEus. Sed ab his jam abſtine manus, qui tibi in ſervitutem ceſſêre. His itaque victus precibus Totilas, Gothis militibus edicto mox imperat, Romanorum de cætero ut neminem obtruncarent.* Idem de Ruſticiana, Boëthii conjuge & Symmachi filia ſcribens, quos Theodoricus Rex ſupplicio affecerat: *Sed Gothi in Ruſticiana mortem jam conſpiraverant ejus hanc noxæ inſimulantes, quod traditâ Romani exercitus ducibus non parvâ pecuniâ Theodorici ſtatuas diſturbaſ-*

set, in Symmachi patris virique vindictam. Totilas tamen nullâ hanc affici injuriâ permisit, sed eam ac cæteras fœminas omnes, ut extra injuriam essent servavit. Plura clementiæ, benignitatis ut & alia justitiæ exempla legi possunt in Procopio c. l. & aliis Auctoribus.

§. V.
De Militia maritima seu Navali.

Pyrathica Gothorum.

GOthos quoque *navibus pugnâsse* certum est, teste Trebellio Pollione in Claudio, de quo refert, *quod duo millia navium Gothicarum deleverit.* De *Vandalis* quoque certum est, *quod in Africam navibus trajecerint, Siciliam, Sardiniam, Corsicam, Ebusam Majoricam, Minoricam Piraticâ suâ infestârint.* De quo legendus Victor. de Persecutionibus Vandalicis. Item *Sueo-Gothos* fuisse *Maris Balthici accolas, succinumque in alias navibus provincias aliaque mercimonia evexisse probatur* lib. 1. Orb. Goth. cap. 5. §. 12. *Certè Piratas Gothos fuisse exercitatissimos palàm est*, attestantibus Auctoribus. Procopius de Saxonibus Gothis immixtis ita ait: *Vectores in hac classe nulli erant: neque enim velis Insulani hi utuntur, sed remigantes semper navigant.* Hos remiges vocat Sidonius epist. 6. *archipiratas, quorum quot remiges*, inquit, *videris, totidem te cernere putes Archipiratas; imò simul imperant, parent, docent, discunt latrocinari.* Hos remiges Romani olim timebant *ut repentinos.* Marcell. l. 28.

Gothorum navigia.

Gothorum *navigia* fuerunt *levia*, teste Tacito *ex materia levi.* Scilicet Materia harum navium juxta Plinium l. 4. c. 16. erant *utilia corio circumsuta.* Confer. Jul. Cæs. Com. 1. Solin. c. 28. Plinius lib. 28. c. 9. *Panda* plerumque eorum fuerunt navigia, quæ Sidonius vocat *Mioparones.* Sveo-Gothorum naves hac potissimùm formâ gaudebant teste Tacito, qui ita ait: *Forma navium eò differt, quod utrinque prora paratam semper appulsui frontem agit. Nec velis ministrant, nec remos in ordinem lateribus adjungunt, solutum ut in quibusdam fluminum & mutabile, ut res poscit hinc & illinc remigium.*

Cosacorum navigia.

Non dissimilis est rerum navalium ratio *Ukrainensium* in Patria nostra Cosacorum, de quibus juvat Perillustris olim Historiographi Joach. Pastorii verba de hac re referre. Ita ille in Historia Polona Plenior. l. 1. pm. 21. *Non rarò*, inquit, *secundo Borysthenis flumine in Pontum Euxinum invehuntur, præsidio Turcico, quod ad Oczakowiam, fauces maris illius ad duo milliaria patentes custodit, inobservati, sæpè etiam insultantes. Non navibus freti, quibus maria alibi trajici solent, trajectusque est Pontus Euxinus, cùm Russi veteres, plus quàm ducentarum navium classe, Constantinopolim, imperante ibi Romano, circa annum Christi nongentesimum sexagesimum invasêre. Sed Cosaci lembis utuntur, quos sexaginta circiter pedum longitudine, ex truncis tiliarum fabricant. Hos enim cavant, & in formam Scaphæ, quinquaginta ampliùs armatos capientis, ad lentum ignem arte singulari diducunt. Intùs verò coriis, & ad latera manipulis junceis, aptè inter se nexis, munitos succinctosque in mare impellunt, procellarum fluctuumque securi. Dubium an origine, vitæ utique & morum similitudine referunt*

vete-

veteres Zygos & Heniochos, gentis pariter Sarmatici generis, quorum in decurrendo hoc eodem mari velocitatem & lembos prædatorios Strabo lib. 11. describit. *Fuit, cùm plus quàm centum Scaphæ tales, multa armatorum Cosacorum millia, in Natoliam exposuêre, & magno isthic Terrore, fugâ & denique pauperie facta, multis spoliis dites ad sua reversæ sunt. Multi adhuc seniorum meminêre tempus, cùm non modò Varnam, Oczakoviam, Techiniam, Belgradum, sed Trapezuntium quoque locupletissimam Asiæ urbem & mox Synopen, Mithridatis olim Regiam sedem, expugnârunt: & ex ipsis denique Constantinopolitanis suburbiis ingentem prædam nemine prohibente abstulêre. Ea istis nominibus navigandi bellandique audacia, ea pernicitas est. Accedit, cùm quid moliuntur, ingens sobrietatis custodia, magnum ad res gerendas adjumentum. Neque enim in lembos ullum potum generosiorem inferre licet, ne fortè ebrietas vigilantiam cujusquam agilitatemve hebetet.* Hæc Pastorius.

Coronidis loco lubet hic *Navium* apud Veteres nomina & appellationes adjicere. Et fuerunt hæ: *Gauli*, Navigia erant parva & rotunda. *Corbitæ*, naves grandes & propterea tardæ. *Caudicæ*, Naves sunt ex caudicibus, id est lignis crassioribus compactæ, quas Macrobius codicarion vocare videtur. *Longæ*, *Hippagines*, quæ equis agebantur. *Cercuri*, Naves erant grandes in Asia & celeres, quibus merces vehebantur. *Celoces*, Navigia parva â celeritate dicta. *Lembi*, Naves piscatoriæ. *Oxiæ*, itidem navigia â celeritate nomen habentia: nam Græcis ὀξὺς velox dicitur. *Remunculi.* Fuerunt & hæ naves piscatoriæ, apud Nonn. Marc. dicuntur lenunculi. *Actuariæ*, ab agendo dictæ, quod adversùs flumina etiam agi possunt. *Epactridæ*, quod pedibus juvantibus protrudantur. *Prosumptæ*, Naviculæ, quæ appendi solebant majoribus. *Cattæ*, Naves sunt Mediæ. *Scaphæ*, Lintres Latinè, ab effossis arboribus. Σκάπλω enim Græcis fodio significat. *Pontones*, Navigia sunt, quibus transmittebantur amnes, sic dicti, quod Pontis loco sint. *Nuctuciæ*, fuerunt naves apud Medos usitatæ. *Phaseli* Naviculæ piscatoriæ. *Parones*, Navigia sunt aliquantulùm magna, quæ appenduntur puppi navium majorum. *Capulica*, fortè sic sunt appellata, quod ad similitudinem capulorum sunt fabrefactæ. Fuerunt autem capula capacissima quædam genera poculorum, quorum meminit Nonnius Marcellus. *Mareplacidæ*, Hæc est appellatio Siculorum &c. Et erant naviculæ admodùm parvæ, quibus mare non nisi placidum & â procellis quietum navigari poterat. *Ratariæ*, erant naves de ratibus compactæ: Catascopia erant res speculatoriæ. Confer. Aul. Gell. lib. cit. & Petrus Mosellanus in h. l.

Navium apud Veteres nomina.

Hæc sunt, quæ de Marte Gothorum benevolo communicare Lectori necessarium duximus. Horum Nepotes, Sarmatæ præprimis in Patria nostra, non minùs gloriosis Martis facinoribus inclyti, eandem sæpiùs ingressi palestram, orbi olim & nunc, eundem illis adhuc sanguinem inesse Gothicum generosiorem, demonstrârunt. Quod & superbissimus Turca, terror aliùs orbis, damno sæpè suo senserit, *asperum omninò esse ab armato Polono extorquere victoriam; non numeris in-*

Martius Sarmatarum animus.

ibi, sed viros pugnare. Inest, inquit, Abazgi Bassa, *illis quoddam genus militiæ Hussarorum* (hastatorum) *equitum, quibus eam esse scito in armorum præfectos observantiam, ut hunc, quem vides urbis murum, si hastis suis quatere juberentur, nescio annon suo illorum emoverent hastis loco.* Hæc *Abazgi* supradictus ab Illustrissimo olim *Koniecpolscio* à finibus Patriæ animosè in suam Turciam repulsus fateri coactus est. Eundem etiam sensit in Polonis Martis ardorem *Osmanes* Imperator Constantinopoleos Turcicus, quem quatuor centenis millibus militum debellandæ Europæ incubantem, parva sanè Polonorum manus à Polono sub auspiciis Serenissimi Vladislai IV. Regis, arcuit limite. In cujus victoriæ memoriam, Papa *Gregorius XV. diem decimum Octobris* perpetuò festum esse Polonis jussit. Hanc expeditionem nobis egregiè satis descripsit Illustrissimus Dominus *Sobieski* in Commen. belli Chotinens. Idem *Vladulaus IV.* Rex, *Sechinum* in Moscovia, octuaginta armatorum millibus, partim Moschorum, partim exterorum è Suecis & Germanis, armatum primùm prælio cruento afflixit, deinde aperto interclusit campo, cùm quadruplò plures essent obsessi, obsidentibus, ut non modò pacem petere, verùm dedere se cogerentur, illam raram ex orbis victoriis & triumphis Vladislao tenente lauream, cùm victus exercitus sub Vladislai Regis victoris pedes, militaria signa seque abjiceret. Prodibat primum *Sechinus* victus armorum Dux, dein minores per gradum Præfecti, tum integer equitatus peditatusque Legionatim, adstanti in triumpho Regi, signa primùm, arma deinde, sub arbitrium Regis victoris substraturus, ut depositorum armorum ingentes strues, ad pedes Vladislai conspicerentur. Memorabilia sunt quoque gesta bellica Polonæ gentis etiam contra Svecos; quos inter non contemnenda est victoria *Zutkieskii* intra Moscoviam, contra *Pontum, de la Gardie*, quem supra viginti millia militum, promiscuè è Gallis, Germanis, Svecisve, ære Moschorum conducta ducentem, cum quatuor equitum millibus ac perpaucis peditibus memorabili vicit prælio.

Item Carolus *Chotkievicius* in Livonia ad Kirchholmum, tribus millibus Polonorum, quindecim millia Suecorum statariâ fudit pugnâ, septemve millibus hostium, quod certè constat, in acie prostratis, nonaginta circiter è Polonis post prælium desideratis. Plura Patriæ nostræ Heroum feliciter gesta legat benevolus Lector apud Fredw. in Script. Select. & alios Historicos Polonos.

Victoriæ Serenissimi Polon. Regis Joann. III.

Gloriosis horum Heroum facinoribus multùm supereminent Maximi Heroum Herois, Serenissimi Joannis III. Poloniarum Regis, M. Ducis Lietvaniæ &c. bellis feliciter gesta, unde Polonæ adhuc genti incomparabilem antiqui ac felicissimi Gothorum Martis inesse gradivum toti palàm Orbi patet. Testantur insignes illæ Augustissimi nostri Principis victoriæ, *ingentibus Ausis*, à Scythis, Turcis ac aliis obtentæ ad *Chotinum*, ad Zorawnum, ad *Comarnum* ad *Cudnoviam*, ad *Calussiam* &c. quibus non modò famam, sed & patrium sibi emeritus est Regnum. Testatur & quod caput est, Gloriosissima illa à Turcis *Viennæ* Imperatoriæ sedis *Liberatio*, quæ quanti sit æstimanda ò summi Romulea è rupe Christianitatis Præsulis ac Maximi Pontificis INNOCENTII XI. felicissimæ recordationis declaratione videre est, quâ Serenissimum Poloniarum Monarcham *Defensorem Orbis Christiani* appellare, ac ut gratam ergâ hunc Principem coronatum suam testaretur voluntatem, ingentibus in Capitolio statuam sumptibus erigere non dubitavit. Quid quod Augustissimus Romanorum Imperator, victoriam Viennensem, unicè *forti Serenissimi nostri dexterâ partam* palàm testatur in literis *Recredentialibus* ad Sereniss. Regem Poloniæ per Perillustrem ac Reverendissimum Dominum Michaëlem Antonium Hacki, Abbatem Olivensem S. O. C. protunc ad se à præfato Serenissimo Rege Dürnsteinium in ripa Danubii Ablegatum datis, quarum tenor talis est.

Leopol-

LEopoldus Divina Favente clementia electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archi-Dux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtembergæ, Comes Tyrolis. Sereniſſimo & Potentiſſimo Principi Domino Joanni Tertio Regi Poloniæ, Magno Duci Lithvaniæ ac Rusſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæque, Fratri ac Vicino noſtro chariſſimo Salutem ac mutuam benevolentiam. Sereniſſime & Potentiſſime Princeps, Frater & Vicine chariſſime. Quandoquidem cuncta, quæ à Serenitate Veſtra Nobis adferuntur, lubenti animo atque peramanter accepta habemus: Ita promptiſſimè admiſſum Venerabilem Michaëlem Antonium Hacki Abbatem Colbacenſem & Secretarium Veſtræ Serenitatis ad Nos deſtinatum, audivimus quæ in Mandatis habebat egregia & quæ ſibi propriâ, Nobisquè ſat perſpecta eſt, prudentia ac dexteritate exponentem. Quis etiam animi noſtri ſenſus ſit in negotio ipſi injuncto, eodem Interprete Serenitas veſtra viciſſim intelligere velit, cùm de Viri hujus fide, induſtriâ & in rem communem præclaro ſtudio, dudùm informati, neutiquam ambigendum ſit. Cæterùm profligato jam partim hoſte, liberatâque Urbe Viennâ promovemus iter noſtrum, de propitii Numinis beneficio, & Serenitatis Veſtræ auxilio fortiquè dextrâ parta victoria, Eidem propediem ſolidè gratulaturi, dum Serenitati Veſtræ feliciſſimos armorum Succeſſus ulteriores, ex amico Fraternoquè animo ſinceriſſimè vovemus.

Dürnsteinii in ripa Danubii die decima tertia mensis Septembris, Anno Millesimo Sexcentesimo, Octuagesimo tertio, Regnorum nostrorum Romani vigesimo sexto, Hungarici vigesimo nono, Bohemici verò vigesimo septimo.

Serenitatis Vestræ

Bonus Frater & Vicinus
LEOPOLDUS, mpp.

V. LEOPOLDUS GUILLIELMUS,
Comes in Kinigsegg. mpp.

JOANNES PROBST, mpp.

Literæ Recredentiales in P. & R. D.
MICHAELEM ANTONIUM HACKI, &c.

Inscriptio

Serenissimo & Potentissimo Principi Domino Joanni Tertio Regi Poloniæ, Magno Duci Lithvaniæ ac Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæque Fratri & Vicino Nostro charissimo.

Hinc patet, quàm gloriosè invictus Poloniarum Monarcha Generalissimus Exercituum eo tempore in Austria Ductor de Numinis ac Nominis Christiani hoste triumphârit, cujus Regalia Acta & Martias Virtutes prædictus P. ac R. Dominus Michael Antonius Hacki Abbas Olivensis; præter varias ac singulares animi dotes, meritis in DEUM, in Regem, in Ecclesiam verè Magnus Vir succinctis ac nervosis Poëmatibus complexus est, quæ benevolo Lectori communicare congruum duximus. Horum Primum taliter sonat.

DEO

DEO & IOANNI III TER MAGNO

REGI ORTHODOXO

AVSTRI VINDICI

ORIENTIS DOMITORI, OCCIDENTIS DEFENSORI,

AQVILONIS TERRORI

TURCICO, SCYTHICO, DACICO &c. &c.

INVICTISSIMO

Domino Domino Suo Clementissimo

SARMATIA TRIUMPHANS APPLAUDIT

VIVat Io! REGIs LaVro, ReDVCIsqVé TrIVMphIs

Accinente

MICHAELE ANTONIO HACKI,

ABBATE Olivensi S. R. M. Cam^æ^. Secretario Gen. Portor^um^. Pruss. Commissario.

SERENISSIMUS, par, immò major Heroibus Sæculorum.

Semideum Alciden, [a] non degeneremque Deorum
Thesea [a] progeniem; metuendum Persea [a] nomen;
Bellerophonta, [a] & quos coluit timuitque vetustas;
Prodigiis, ô REX! facis invidiâque minores,
Servato aut domito, REX Unicus Omnia Mundo:
Et quantùm Monstris, Domitor supereminet ullus;
Monstrorum, tantùm, Domitoribus Unicus exstas.

PROTASIS, quâ regiones, & Domitores Monstrorum attinguntur.

Scilicet ignivomam Lycii [b] timuêre Chimæram:
Pars quota terrarum, procul hinc, Vulcania risit
Ora Leæ, quod dêinde Capram, postrema Draconem?

Bellerophon.

Pegasus ut victor foret, aut Ephyreius Heros. [c]

Perseus.

Anguicomæ, terrent Libyam fera colla Medusæ,
Acrisioniadem [d] satiant: licèt haud minor, Alas,
Et Majâ geniti, Victoria respicit, Harpen.

Theseus.

Altiùs Ægidem [e] circumtulit æmula virtus.
Semiferas [f] acies, Minotaurumque biformem; [g]
Cercyonem, [h] Scirona, Scinin, sævumque Procustem
Fregit; & Hippolyten [i] docuit juga ferre: nec ultra
Progresso, nimium fuit Attica [k] terra theatrum.

Hercules.

Quantum Regnorum, latè superabat inultum!
Infelix Arcas, fuerat quot præda malorum!

a *Herculis, aliorumque Heroum nomina; qui Semidei dicti, quasi deorum & hominum filii.* b *Asiæ minoris populi.* c *Bellerophon Pegasi ope victor Chimæræ, Ephyræ in Achaia Rex, quæ pòst Corinthus dicta.* d *Perseum Acrisii Argivorum Regis nepotem, contra Medusam, aliis Mercurii, & ense, Harpe dicto, adjutum.* e *Theseum, Ægei Athenarum Regis filium, Herculis æmulum & amicum.* f *Centauros, semiequos.* g *Semibovem* h *Latrones à Theseo sublatos.* i *Amazonum Reginam.* k *Pro Arcadia.*

Par nisi dextra malis, aut afforet *ira Noverca*; [l]
Quanta Cleonæum posset superare Leonem;
Posset & hunc, aluit quem mons Erymanthius, Aprum;
Posset & hanc Lernæa palus quam protulit, Hydram,
Quasvè, Soli & Solis vindex, Stymphalidas [m] Arcus
Arcet. Sacrilegæ steterant *Busyridis Aræ*,
Et digni Diomede Feri: nisi robore Clavæ,
Cæde peregrinâ madidus, foret hostia Flamen;
Et sê, sanguinea implesset præsepia, Pastor. [n]
Quid morer Anteum, Geryonaque, Centimanumque?
Aut si quid Stygio, victum vinctumque sub antro?
Servavit, reliquum tantis, Tyrinthius [o] Orbem;
Servavit reliquum, sed non Tyrinthius omnem.
Ægæi, Ionii, tota hæc interiacet Arcto
Gloria; terrarum, vix eminùs agnita, tanto.
At nec bissenos, labor Herculis ire, triumphos
Plus ultra potuit; nec adhuc, sinè vulnere Veri:
Solæ, è tot Palmis, non maxima fabula Gades. [p]

APODOSIS Panegyrica ad SERENISSIMAM MAJESTATEM.

Nam quis, in Heroum primis, *Unum*, *omnia contra*,
Pectus erat? TIBI Soli ea Stemmata, MAXIME REGUM,
Invidisse, nefas Superi duxêre, Laborum.
Sint sua Monstra suis; & sunt: *Sparguntur in omnes*;
Sub TE Cuncta ruunt: *& quæ divisa* triumphos
Efficiunt, *collecta* domas. *Pro millibus unus*
Thrax Mundo fuerit Monstris: TU GLORIA REGUM,
Monstrorum Domitor Rex es, *pro Millibus Unus*.

Turca, terras Monstris infames occupat. Terror Orbis creditus

Omnia vicisti PRINCEPS, Oriente subacto.
Hoc erat in fatis; tot, & his succedere Thracem,
Sævierant quacunque Feris. Non somnia Vatum,
Mæoniâ [q] trepidare *tubâ*, Lyciamque, Libymque,
Arcades &, Argosque jubent, Nemeenque, Marisque,
Terrarumque sinus. Nimium quàm pervigil, Orbem
Terror agit. Ne sola tremat, Duce Lechia moto

Latissimè regnat.

Odrysiæ Geticæque luis: pars quanta, Tyranno
Strata, Tyrannorum! ruituro sub juga Mundo;
In Nova Monstra, Novam nisi Vim TE Fata dedissent.
Fingere nîl opus est Unum, letalius Hydris,
Durius Anteis, graviusque Leonibus; Apris

Potentissimus Hostium.

Sævius, & certum magìs, horrendumque Chimæris
Gorgone, Semiferis; bipedum, rabieque Ferarum;
Cerbereo rictu, Monstrumque immanius Orco.
Heu! Thracum Monstro, quot Monstra paventur, in uno!

FORTIOR EST REX.

TE DOMITORE, simul tot Monstra domantur AB UNO.

Arma-

l *Junonis, Herculem Jove natum, Laboribus perdere conantis: qui hîc attinguntur.* m *Harpyiæ, agminatim volando, Solem obscurantes.* n *Busyris Ægypti, Diomedes Thraciæ, Reges: ille hospites immolabat Diis; hic equis objiciebat devorandos.* o *Hercules, à Tyrinthia urbe altrice, sic dictus.* p *Laborum & victoriarum Herculis, non plus ultra.* q *Homeri, Vatum & Fabulatorum principis.*

Armatam flammis, nequit unda domare [r] *Chimæram?*
Edomitam SUDORE TUO, gratamur; & alto
Sanguinis Odrysii. Geminat, post vulnera, vires
Et virus Thrax Lerna suum? TUUS Ensis, & Ardor,
Cæde truces, docuit non vivere mortibus Hydras.
Verior Anteus, pressâ tellure valescit?
Aut terris, REX Magne, jubes exesse Gigantem;
Aut fractum in Pumilos, non longiùs esse Gigantem:
Centimanusque Gyges idem, *Geryonque triformis*, [s]
Quærit opes, & opem; TE VINDICE, Mancus inopsque.
Cûi Minotauro! [t] quanti heu ambagibus ævi!
Sanguine Christiadum fuso, aut stipendia capto,
Qua Mundi non parte, pudet pendisse? Refundit
Impia Bistonius, TE REGE premente, tributa
Et Cruor & lacrymæ: regeritque, quod hauserat olim,
Et Regnorum, & opum. Jovis hanc Manus, aut Jove digna
Dextera virtutem fecit. Tremit *Orbis terror*: & Orbi
Vincitur invictus quondam: Palmasque Cupressis
Commutat, Regnumque fugâ: Quærendus in Orco
Cerberus, & vinci TIBI, vincirique docendus.
O rerum, scelerumque vices! Quis, ad ora Medusæ
Threiciæ, non marmor erat? præcordia, duro
Circumdante metu. Victrix TUA, & Arbitra Sortis,
Vertit DEXTRA vices: formidatumque Tyrannis
ÆGIDA [u] Tutamen Superûm, quàcunque videndum
Præbet; Saxificæ, Thracum præfecta Medusæ
Ora, metu, saxoque rigent. Stat PORTA, [w] triumphis
JOANNIS Magni; domitoque Oriente Colossus.
PLUS ULTRA: patuit Lauris, & Laudibus Orbis.
Barbara Pyramidum sat sint *miracula Memphy*:
At non, Invictæ TANTO sub PRINCIPE, Genti.
Surgat Amazoniis, Prædatorumque Trophæis:
Ludibrium Zephyro, brevis ævi præda Colossus.
Scipiadas arctet, Cunctatoresque, vel Arcus, [x]
Porta vel; & quorum capiunt Capitolia Palmas;
Et quorum, satis est Clio [y] facunda, duellis.
DIGNE THRONO MUNDI, toto celebrabere Mundo.
Cernis? ut, amotis Citharâque Lyrâque, Tubâque,
Sol idem Phæbusque; TUIS, toto Orbe, Triumphis
Urget anhelantes, tanto sub pondere Currus?
Ut MAGNI, gaudet geminari, UMBONE SERENI,
Et Vultu meliore dies! Ut! TE JUBAR ORBIS,
Totis *Cœlorum* resonat *concentibus*, UNUM.
Ut! nectit nascendo moras; ardetque tueri

In omni hactenus Expeditione præsentissimus.

Vindex sanguinis Christiani, fusi toties, aut in servitutem redacti.

Post Chocimen, Viennen. Strigonien, SERENISSIMI Victorias, Consternatus hostis, Martem fugit.

Trepidat Constantinopolis, & Porta Otomanica.

Quantum debet Polonia TANTO REGI!

Totum Orbem Gloria REGIS INVICTISSIMI meritò impleverit.

Nuperrimæ ad Orientem Victoriæ.

Bb Omnia

r *Flammam Chimæræ, extingui aquis non potuisse ferunt.* s *Trium Corporum.* t *Quali Athenienses, annuatim pendere coacti, certum Filiorum infantium numerum, devoraturo.* u *SCUTUM & Gestamen Palladis, Medusæ vultibus formidandum.* w *Otomanica, pro Triumphali.* x *Arcus & Porta in triumphus idem.* y *Musarum una Marti Sacra.*

Omnia plena TUIS, ſpectet quàcunque, Trophæis!
Hìc, poſt Chocimias, viret & quibus Auſtria, Lauros;
REGIA, Beſſarabum tumulis, *ſtat Fama ſuperſtes.*
Hìc, Fagi [z] grandæva ſeges, revireſcere opimas
Cogitur in Palmas, Veterisque oblivia labis.
Hìc, Scythico Threſſoque, rubet Pruthusque Tyrasque
Sanguine; & AUGUSTIS jam mitior auſibus Iſter.

Ad Auſtrum antè, Auſtriâ vindicatâ.

Altior, aſſertum Titan ſtupefactus ad Auſtrum,
Geſtit ut! Herculeos, hac parte labante, lacertos
Cernere; dumque malis Occaſus nutat & Auſter;
Cœlifero, [aa] quæ dextra Polum, titubante, levavit?
HÆC, Regum Decus, atque Salus; Timor Orbis, Amorque.

REGIS SERENISSIMI Imago.

Sic, SOLIUM toto Orbe TUUM, cum Sole triumphat.
Quod ſi TE, jurata Diis, aut dextera Magnis;
Fingere Lyſippus, vel pingere dignus Apelles: [bb]
Nìl mortale audete manus. Stet, pro Jove, Moles
Auguſtâ major. Diademate ſidera tangat.
Cuncta ſupercilio moveat. Poſt Pectora, tutus
Auſter agat: Vultus, *Aquilo* Frontemque paveſcat:
Ortibus edomitis intentet Dextera Frenum:
Tutos *Occaſus*, Pia pergat Læva levare.

SERENISSIMA PROLES.

Inter & AUGUSTAM Patriæ ſolatia MATREM,
Inter & AUGUSTAM Regum ſuſpiria NATAM,
TER Magno, ad numerum, SPES circumfuſa PARENTI;
Quà [cc] SIDUS REGALE micans [dd] INGENTIBUS AUSIS
QVO VIS MONSTRAT ITER, non Lunâ aut Sole premendum
Urgeat, INVICTÆ, partem ſub pondera PLANTÆ:
Partem aliam CLYPEUS, *Septemplice* [ee] Protegat *Orbe*,
Defenſi aut domiti, *cœlatus imagine Mundi.*
Æternisque adamante notetur EPIGRAPHA Faſtis.

CORONIS LAUDUM.

JOANNES. *AUSTRI VINDEX, TERRORQUE TRIONIS,*
EOI DOMITOR, SOLIS TUTELA CADENTIS:
OCCASUS AUSTRIS, ORTUS AQUILONIBUS ÆQUAT,
ADVERSI VICTOR MUNDI, SERVATOR AMICI.

z *Bukowina ſylva Daciæ, fagis & cladibus famoſa.* aa *Atlante.* bb *Deorum, aut Alexandri M. ille Sculptor, hic Pictor.* cc *Symbolum Regis Sereniſſimi, Stella Polaris.* dd *Lemma Regium.* ee *Qualem Ajacis Clypeum fuiſſe perhibent.*

VIVat Ioannes TertIVs
ReX PoLonIæ { TVrCI DoMItor
ChrIstIanorVM Defenſor }

(o)

HEROI SERENISSIMO

JOANNI III,

REGI

POLONIARUM TER MAGNO

REGUM

Potentissimo, Sapientissimo, Optimo,

EUROPÆ DEFENSORI
ORBIS SERVATORI
PATRIÆ PATRI

Imperium sine fine. Virg.

EST *Laurus* alibi, quidquid Rex maxime calcas;
Hîc se REGALI sternit OLIVA pedi.
Grande Coronati CAPITIS decus Illa meretur:
Pacis at æternum firmat Oliva THRONUM.
Ergò tuo *Laurus* Apici sit Sacra GRADIVE:
Nîl minùs AUGUSTOS prensat OLIVA pedes.

REX OPTIME MAXIME

PErmittes utiquè, ut iterato fluxu sterilis vena nostra in Tuas Tuarumquè virtutum exundet Laudes; & ad Divi Tutelaris Tui Aras hoc quoquè affundat gratæ Mnemosynes profluvium. Dignus es Jovis oraculo Romanos indigetante; cumquè initialibus Tituli literis Poëma hoc levidense exornatur: Tu simul voto ejusdem fatidico tanquam Numinis eloquio Coronaris,

L. I. Æneid. v. 484.

Huic ego nec metas rerum, nec tempora pono:
Imperium sine fine dedi:

Tibi ô Regum Corona in sera etiam posteritate perpetim regnaturo. Annuant Superi, nec abnuant Subditi.

Sic precatur minimus & subjectissimus Clientum
F. M. A. H. A. O.

Hactenus

* * * * * *

HActenus *Armatæ Laudes*, Citharæque potentem
Et Pharetræ tenuêre DEum : [a] cùm tenderet omnes, — *Decantatæ Regales Victoriæ.*
Regia per Magni JOANNIS Olympia, nervos;
Optaretque sequi propior; saltemve Trophæa
Invictæ numerare Manûs. At grandior ultra
Semideos it Fama Ducis. Seu Martius ardor
Egit in Arctoos Juvenis fractura *Leones* [b] — *Sueticæ.*
Robora. Seu CLAVAM, prostrati Monstra Dracones, [c] — *Moschoviticæ. Cosaticæ.*
Et Dominos peterent jugulos *Servilia* Colla,
Nescia non impunè Jugi. Rea sivè *Getarum* — *Scythicæ innumeræ.*
Immanis prædæ rabies, stragesque trecentas
Suppliciumque fugæ, spolii pro munere ferret.
Sivè recrudescens *Lernâ* magè *Bistonis* Hydræ — *Turcicæ. Ad Chocim. Zorawn. Vienn. Strigon. &c.*
Immortale malum, repetito terque quaterque
Marte, mori sciret, CLAVA SCEPTROque magistris.
Omnia, Regnando natæ, molimina Dextræ,
Invidiam, Laudesque supra, laudataque vulgo
Ostenta Heroum. Quantis tamen impiger Ausis
AUGUSTO minor usque suo, sudavit Apollo;
Nitentemque Ratem succumbere viderat undis
Non æquandarum mortali remige Laudum. — *Laude majores & præmio.*
It menti sed Fama sequax: Fascesque merenti
Terrarum, Pæana damus. Sinè munere Virtus!
Egelido satis est tot tanta reponere plausu!
Regnorumque Animæ, Servatorique Regentûm,
Triste datu, Titulus, perituraque redditur Aura!
Ingens miscet adhuc *Gottunas* [d] Vistula Strages,
Ostentans calidæ Regalia cæpta Juventæ.
Rossius, ê *Cosaci*, *Moschique* Borysthenis alto
Evolvit sua Fata cruor, SOBIESCIA rerum
Grandia gestarum. Quantas asserte ruinas
Ister agis Thracum? Scythiæ quo sanguine latè
Pruthe rubes! Quàm sæpè *Tyra*, nîl vilior Istro,
Odrysias hauris Acies; *Euxinaque*, Nigrum
Luctibus Umbrarum, geminat *Galatea* [e] colorem!
Otomanæ *Lux summa* Rei, Lux prima *Viennæ*
Noscitur. At tanti PRINCEPS moliminis Author,
Immeritisque DEus, salvi quæ præmia Mundi,
Asserto sub Sole refert? Paribusne *Colossis* — *Plausus Urbis & Orbis.*

Cc Romu-

a *Phæbum.* b *Insigne Sueciæ.* c *Moschoviæ.* d *Sueticas.* e *Dea Maris.*

Romulus assurgit? SERVATORIne Triumphos,
Urbis Honos, Orbisque Salus, statuitvè Trophæa
Magnorum fassura parem? Nullinè secundum
Testibus inscribit Fastis, quo Vindice tandem
Edomitus *Mundi Terror*, redivivaque Sceptris
Regna suis, Regesque Sibi? Num præmia rerum
Maxima Tantarum Laurus? aut Carminis haustus
Aonidum [f] de Fonte Latex, inopina refundet
Gaudia? Spes Mundi lapsas erexerit *Unus*
Non *Cunctator*; ut hunc grati Juga sola *Bicollis* [g]
Ostendant Terris? Lacrymas avertit in hostem?
Reddimus, at modulis, grates; parvoque colendum
Esse Diis remur similem. Sic sera, levisque
Gloria, STATOREM Occasûs, Ortusque TONANTEM,
Undique Victorem, sequitur nec passibus æquis,
Merce nec Augusti [h] Vires æquante Gradivi.
In Pace Victor. Pace nihil licet ille minùs, Patriique Sereni
Orbe viget, vincitque: Et habet Victoria Campum,
Tutoremque DEum; veniens sinè sanguine Palma.
Ergò latus Pharetris exuteque tempora Lauris,
Necte *Venafranam* [i] pacato vertice Frondem:
Thessalico [k] pro Rege coli sic, Phœbe, Lechei,
IOANNES Numen Solii, gaudetque, meretque.
Scilicet Asserto non est, quod vincat in Orbe,
SERVATOR Divûm atque hominum? Nisi sanguine Tellus
Irrorata, neget Palmas TIBI & Optime Regum, &
Maxime Vincentûm? Teneat non invida mentem
Odrysiæ [l] cladis saties. Mucrone quieto
Spectet, continuans quos cæpit, Dextera Plausus,
Austriaci, [m] *Adriaci*, Spes sola solique Salique.
Principe TE sed enim Solii, velut omnia Solem
Infra, Naturæ laus est posuisse, nec ultra
Esse datum Superis nisi: sic TIBI vinci
Nemo neget: *Palmam* quivis, aut porrigat herbam.
Potentia. Tollant Pegaseis *Cyrrhæ* [n] trans sidera pennis
Immiscenda Diis Regumque Exempla Ducumque:
Sivè quibus par visa Polo sibi *Græcia mendax*;
Sivè quibus *Latii* Vertex ferit altior Astra:
Imbellem *Æaciden*, [o] imbellia Pectora *Ledâ*
Matre [p] satos, obstare nefas; quà fulgura Vultûs
Objicis, *Augustus* cerni, majorque timeri,

Orbis

f *Musarum.* g *Parnassi.* h *Regii.* i *Olivæ.* k *Cui quondam captivus Apollo.* l *Turcica.* m *Colligatorum.* n *Ubi Apollo.* o *Achillem.* p *Castorem & Pollucem.*

Orbis Amor metuende, Metus sed & Orbis amande.
Sapientia. Plaudat adoratis inter Miracula *Septem*
Terra *Sophis* totidem: Si quid Diademata quondam
Invidêre Sophis Superi; Regnumque mereri
Mens olim Sapientis erat, regnare superbum:
Os populi meruisse datum TIBI Cœlitùs, atque
Esse Sophos Regesque supra. Quod *Tullius*, Umbra est,
Umbra *Pericleum* Fulmen, *Tacitique* Tacentes,
Rhetores Infantûm similes; nisi morte fuissent,
Ore TUO faceres Umbras, & nescia fari
Pectora: Tam certos referant Oracula Delphos,
Æternoque DEûm cupiunt Adamante notari.
Divinum se *Plato* neget; se *Zeno* Virorum
Eximat â censu; Magni quin ipse Magister [q]
Fit minor: Augustas quoties Aulasue Dapesue
Esse jubes doctas: Sapere ut Convivia discant
Numen, seu gravibus Mysteria digna *Lycæis*.
Saturno sociare *Jovem*, nec dissita gaudes
Orgia [r] Virtuti MAJESTATISque Sereno:
REGEM nosse, sit ut rapi; & ut sapienter amœnùm
Ipse metus TE *noster amet*. Tunc, munera cæcâ
Obtingant ne sorte, queat quid quisque, periclûm,
Rege putas dignum fieri. SAPIENTIA miscet
Bacchum, & *Alexandros* [s] *Mensis debellat in ipsis*.
Bonitas. Ille *Codros*, *Curios*, *admireturque Catones*,
Supra *Fabricios* nîl æstimet, atque *Lycurgos*;
Sacra sub hoc si quis *Virtutum* Pectore *Templa*
E Cunis nescire potest. Quibus eminet Aris
Religio Pietas Justitia Constantia. Rara *Fides*, Pretiumque Poli, *Pietasque!* Nefasque
Utile, non præhabens *Cultus*, *Probitatis Honesto!*
Ardua perfringens *Animus*; mollescere lætis,
Tristibus infringi vel cedere nescius; Aedem
Clementia Occupat Augusti Cordis. *Clementia* totis
Vigilantia Regnat visceribus, nec Pulvinaria multæ
Impleri passura precis. Custodia *Legum*
Amor boni publici. Pervigil, & Communis *Amor Patriæque* Reique,
Ardet inextinctus Vestali Sanctiùs Igni.
Moderatio Animi. *Temperies* quæ! quanta! pati, quàm perdere malle!
Regibus agnatos Animis componere fluctus!
Munificentia &c. Inque Suos Donis, ut in Hostes Vindice ferro,
Æternare Manum, Hæredem Sceptrique mereri!

q *Aristoteles.* r *Hilaria*, *Proverb.* 9. s *Sobrietate.*

Pectore REGALI Templum Virtutis, Honori
Addere; *Barbaricoque* coli nisi Sanguine, nolle!
Tanto ne Prisci sese *Aurea Secula* Moris,
Rege beant: Si quisquam ea Secula præferat Æri,
Imperiis collata TUIS. Sic omnia vincis.
Infra TE sic cuncta vides. Sinè cæde, sinè Irâ;
Marte procul, Mars ipse TIBI; Mens Magna, sub ipsa
Pace, Triumphorum Sterilis quod nescit haberi,
Exempli res sola TUI. Si *Pœnus* [t] in Armis
Rex fuit; at *Capuæ* servilia vincula deses
Induit. Hostis abest? Civili strage *Neronum*
Sui Victor. Undavêre Throni, nec erat vis, vincere semet.
Multa Triumphalis numeras insignia Palmæ
Summe Triumphantûm. Quis Majestate *Pelasgâ* [u]
Inclytus? aut *Latio* tangens Diademate Divos,
Non TIBI succumbat? Vinci *Pius*, [x] *Optimus*, Uni
Exoptet? *Numerus sunt*, [y] nec nisi Nomina, Reges,
Fors quotcunque TUO voluit præcurrere Sceptro.
Immensùm supra es SAPIENSque POTENSque PROBUSque.
Nemo supra, Par nemo. At REX, Victorque TUImet
Es quoque; & hoc uno IMPERIUM SINE FINE MERERIS.

t *Hannibal.* u *Græciæ.* x *Cognom. aliquorum Imperatorum.* y *Nos numerus sumus.*

ê Voto Christianitatis
Vaticinante R. D. MICHAELE ANTONIO HACKI, Abbate Monasterii B. M. V. de Oliva S. O. C. S. R. M. S. G. P. P. C.

ANNO, QUO
IOANNES MagnVs REX, VInDeX Cor sIt OLIVæ.

Syllabus Auctorum, qui citantur
IN MARTE GOTHICO.

A.

Ælianus.
Agathias.
Alexander ab Alexandro.
Ammianus Marcellinus.
Amoinus.
Anonymus de rebus bellicis.
Appianus.
Apulejus.
Aristoteles.
Arrianus.
Arnobius.
Athenæus.
Aurelius Victor.

B.

Baidavus.
Nicol. Blancardus.
Bretkius.

C.

J. Cæsar.
Cassiodorus.
Cato.
Censorinus.
Chardin.
Cicero.
Claudianus.
Clemens Alexandrinus.
Cluverius.
Constantinus.
Cranzius.
Petr. Crinitus.
Curtius.

D.

Dio.
Diodorus Siculus.
Dionysius Halicarnass.
Petr. à Dysburg.

E.

Egesippus.
Erasmus Roterodam.

F.

Pomp. Festus.
Val. Flaccus.
Florentinus.
Florus.
Erasm. Francisci.
Fredro.

G.

A. Gellius.
Gregorius Turonensis.
Sim. Grunow.

H.

Mich. Anton. Hacki-
Hartknoch.
Heliodorus.
Henneberg.
Herburtus.
Herodianus.
Herodotus.
Hirtius.
Homerus.
Horatius.

I.

J. Janukovius.
Nic. Jeroszin.
Josephus.
Isidorus.
Jus Culmense.
Polonicum.
Juvenalis.

K.

Wijuk Kojalowicz.

L.

Lampridius.
Lazius.
Leonclavius.
Gualther. Ligurinus.
Lipsius.
Livius.
Loccenius.
Lucanus.

M.

Macrinus.
Joh. Magni.
Olaus Magni.
Mela.
Petr. Mosellanus.
Sebast. Munster.

N.

Nicephorus Gregor.
Nicetas.
Nonnius Marcellinus.
Notitia Rom. Imperii.

O.

Okolski.
Orosius.

P.

Pastorius.
Plautus.
Plinius.
Plutarchus.
Polybius.
Pollio.
Pollux.
Possidonius.
Procopius.
Pythagoras.

Q.

Quintilianus.

R.

C. Rhodiginus.
J. Rosenzweig.
Ruffus.

S.

Salustius.
Schefferus.
Seneca.
Sidonius Apollin.
Silius Italicus.
Sisenna.
Jac. Sobiescius.
Solinus.
Statius.
Stevechius.
Strabo.
Svetonius.

T.

Tacitus.
Tertullianus.
Trebellius.
Turnebus.

V.

Valerius Maximus.
Varro.
Vegetius.
Virgilius.
Vitruvius.
Vopiscus.
Vulcatius.

W.

Waldeks Chronica.
Wallenrod.
Weisselius.

X.

Xenophon.

Z.

Zonaras.
Zosimus.

Index Rerum & Verborum,

IN MARTE GOTHICO

Contentorum.

C.

D

E

machi-

Ee Sunt

FINIS.